



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Davidis Regis Et Prophetæ Psalmi omnes, In Carmen  
Conversi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**


---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-69098](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69098)



X  
VII 34.

Jh. 5874.





DAVIDIS

REGIS ET

PROPHETÆ

Psalmi omnes,

IN CARMEN CONVERSI,

PER

D. IACOBVM LATOMVM,

*Canonicum Louaniensem.*

Adiecta est ad finem eiusdem Davidis super  
morte Saulis & Ionathæ Trenodia.



ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini,

Architypographi Regij.

M. D. LXXXVII.

DAVIDIS

REGIS ET

ERGO

PLACUIT

IN

TER

DIACONUM

Canon

...

...



...

...

...

...



IOANNES RAMVS

IVRECONSULTVS AD  
IACOBVM LATOMVM.



HEBRÆI partim diuina pœma-  
ta vatis

*Fecisti in Latios molliter ire  
pedes.*

*Fecisti: pergas ventis dare vela, quousque  
Impleat extremam meta suprema manum.*

*Aut iusto semper colophone pœma carebit,  
Et qui perficiat cetera nullus erit.*

*Nec tātū assumet quisquā sibi, vt addere tētet  
Carmina, carminibus æqua futura tuis:*

*In quibus & vires, atque ornamenta, fidemq̄,  
Et quidquid vates summus haberet, habes.*

A 2

IACO-



4  
IACOBVS BAYVS  
SACRAE THEOLOGIAE  
PROFESSOR AD  
EVNDEM.

*Q*ue quondam cecinit sacra testudinis  
author

*Iesiades, celo dum sua corda leuat:  
Excelsoq; quibus Domino, praconia, laudes,  
Turba Leuitarum reddere more solet:  
Exprimis haec facili modulatus cantica versu,  
O Latome, & summa id sedulitate facis.  
Hac etenim cura tractas oracula sacri  
Pneumatis, ut teneas cum pietate fidem.  
Vulgata verbis namq; aditionis inhaeres  
Iugiter, & sensum reddis ubiq; Patrum.  
O qui docta sacro mulcet spiramine vatum  
Pectora, conatus prosperet vsq; tuos.  
Teq; terant manibus passim iuuenesq; senesq;  
Nam liber hic vita est mentis & escapia.*

IACO-

5  
IACOBVS LATOMVS

PIO LECTORI.



**A**NTE annos aliquot, amice  
Lector, nonnullos Davidis  
Psalms è toto volumine  
hinc inde, prout quisque in-  
ciderat, arreptos, diuersis  
temporibus in carmen con-  
uerteram: nihil tum aliud  
spectans, quàm ut hoc genere occupationis animū  
meum domesticis molestiis defatigatū recrearem,  
& à cogitatione rerum ingratarum ad iucundio-  
res curas auerterem. Nam quia re ipsa intellige-  
bam, nulla me neque maiora, neque presentiora  
remedia aduersus incidēteis animorum morbos,  
& tormēta fortunæ posse reperire, quàm si in hac  
saluberrima parte scripturæ sacræ operam, stu-  
diumq; collocassem: ideo me quoties rerum tedia  
ceperant, vel molestia aliqua mihi obiecta exul-  
cerarat animum, in sanctissimū vatem me liben-  
ter reijciebam, & vel cum illo iucundissimè com-  
mentabar, vel ipsius sensa ad meos modulos, ut  
poteram, cōcinnabam: Nimirum arbitrabar, nul-  
lum genus laxamenti magis decere hominem cum  
sacra professum, tum ab studiis humanioribus ni-  
hil abhorrentem. Verū ubi fætus ille noster in  
aliquē numerū Psalmorū excreuisset, quorundam  
studio effectū est, ut nondū bene emaculatus, præ-  
teritaq;

teritaq; sui parentis auctoritate, sese praealo subijci  
 sustinuerit. Cumq; à me non satis cohiberi posset,  
 quin è tenebris, quibus illū damnaueram, aliqua  
 in publicum erumperet, ac per plurimum, quàm  
 volebam manus sese diffunderet, quod proximū  
 fuit, faciendum esse putavi, ut doctorum consiliis  
 amicorum cederem, sedulo cohortantiū, ut Psal-  
 mos illos sub incudem reuocatos, & nouorum ac-  
 cessione aliqua cumulatos, euulgarem. Nam ut  
 fortasse futuri sint aliqui, qui hoc consilium irri-  
 deant, atque subsannēt, vel quia totum hoc genus  
 scriptiois leue putent, vel quia iam à nonnullis  
 videatur occupatum: fore tamen aliquos confide-  
 bam, qui etiā nostra hæc qualiacunque, non essent  
 aspernaturi: neque rem eam ut leuem habituri,  
 cuius tot graues extarēt auctores, cum noui, tum  
 veteres: nec Latini modò, ut Iuuenius, Sedulius,  
 Arator, & complures alij; verum etiam Græci, in  
 quibus sunt Nonnus, & Apollinarius: quorū hic  
 Davidis Psalterium, ille Diui Ioannis Euange-  
 lium carmine heroico complexus est. Neque mirū  
 profectò, rationem hanc tractandæ scripturæ sa-  
 cræ summis uiris placuisse, quæ cum ipsius etiam  
 diuino Spiritus sancti consilio consentire, atque  
 congruere videatur. Etenim si D. Basilio credi-  
 mus, non alia de causa Spiritus sanctus Davidi  
 sub specie rhythmorū sua prodidit oracula, quàm  
 ut qui rectam uitæ rationem quærerent, sanctis  
 præceptis dulci modulatione comprehensis inuita-  
 rētur, auriumq; voluptate deliniti, sermonis uti-  
 litatem

litatem faciles, latiqꝫ susciperent. Nihil enim est tam pium, utile, aut salutare, quin illud libentius legas, si grato aliquo numerorū lenocinio cōmendatum proponatur. Nos verò an momentum aliquod ad voluptatem in lectorum animis ciendam attulerimus, aliorū esto iudicium: Certè operam dedimus, ut qui alioqui studio carminis delectentur, sacrorum Psalmorum sensus quàm minimo fastidio perciperēt. In quo quidem vulgatam editionem potissimū secuti, non magnopere curauimus, si subinde ab illis dissentire videremur, qui Hebraicas veritates alius post aliū quotidie nobis certatim afferunt. Nam cūm veritas ipsa vna sit, ac simplex, videre tamen est illos ipsos inter se tam variè discrepare: ut mirum sit, ex vno eodemqꝫ fonte tā diuersos hauriri posse latices sententiarū. Quocirca mihi longè satius semper visum fuit, eius editionis vestigia premere, quam omnibus in templis orthodoxa agnoscit Ecclesia, quàm per tot trāstationum Labyrinthos incertū, nutantemqꝫ versari. Quod quidem à nobis citra cuiusquam suggillationem sic dictū accipi velim, ut interim interpretibus istis nos plurimū debere, libenter, ac ingenuè confiteamur. Nam si quando minùs apparebat, quemadmodum sententiae inter sese congruerent, nec si, ut id consequer, commentarius nostrae editionis satis adiuuabar: equidem non dubitavi ab illis ipsis subinde mutuari, quo loca in speciem huius, & dissipata conglutinarem, atque cōmitterem: ut quoad eius

## 8 AD LECTOREM EPISTOLA.

fieri sine Propheta iniuria posset, perpetua coherentium sibi sententiarum serie decurreret oratio. Neque verò mihi unquam libuit illorum cōmento assentiri, qui dicunt in Psalmis omnia enthusiasmis plena esse: ideoque frustra eos laborare, qui illic continuos sermonum ductus studeant persequi: propterea quòd qui eiusmodi afflatibus aspirentur, nunc in hanc, nunc in illam cogitationem mente rapti, soleant orationis filum plerumque negligere. Non enim Spiritus sanctus fanatici furoris auctor est, ut eo afflati, nec ipsi, quae loquantur, intelligant, nec auditores, quid sibi velint, percipere possint, sententiis nullo nexu inter se coherentibus: cum propheta Domini, non ut Ethnici vates, insani, sed Videntes in sacris literis appellentur. Ergo quaecunque ad lucem, veritatemque facere videbantur, hinc inde studiosè perquisiuimus, decerpimusque: nihil omittentes, quo susceptos à nobis Psalmos, ut cum quadam numerorum iucunditate, sic & summa fide illustraremus. Voluimus enim sanctioribus istis Musis & prodesse, & delectare. Huc cursus fuit: quem portum si attingimus, est quòd nobis gratulemur: sin minus, certè fauorem arbitramur his debere, qui horsum quibuscunque velis, ventisque nituntur. Vale.

IN

9

IN PRIMVM  
DAVIDIS PSALMVM  
IACOBI LATOMI  
ODE.

ARGVMENTVM PSALMI I.

*Felicem docet esse, mali contagia cœtus  
Qui fugit, inq̄, Dei tempora lege locat:  
Hanc vitæ statuens Helicen sibi: quanta deinde  
Damna malos maneat, commoda quanta bonos.*

BEATVS VIR.



**E**LIX, consilijs qui abstinuit malis,  
Nolens praua sequi facta nocentiũ,  
Misericq̄; gregi non tulit improbo:  
Eius sed pia mēs semper, & integra  
Cū iussis Domini pectora cōgruūt:  
Inq̄; illis meditans se pius occupat,

Noctes atque dies iugis, & impiger.

Hic palmæ similis, quam fluuius propè  
Decurrens placidis vorticibus rigat,  
Et quæ semper hero temporibus suis  
Opportuna dabit munera fertilis:

Quæ vestita suis stabit honoribus,  
Frondis nec metuet defluuium pati.

Rursum quidquid homo suscipiet pius,  
Successu capiet gaudia prospero.

Haudquaquam ratio est consimilis virũm,  
Qui vitam peragunt per vetitum nefas:

A s

Difflatis

Diffatis sed erunt pulueribus pares,  
A terra vehemens quos Aquilo rapit.

Ergo nec paribus conditionibus  
Surgent iudicio iustus & impius,  
Nec pravi sceleris turba sequacium  
Cum iustis placito stabit in ordine  
Orbis cum veniet maximus arbiter.

Nam spectat placidis luminibus vias  
Iustorum Dominus lætus, & approbat:  
Contrà persequitur facta nocentium,  
Nec durare sinet quod facient opus.

ARGUMENTVM PSALMI II.

*Fœdera prædicit recutita immitia gentis,  
Quæ licet in Christi pacta fuere caput,  
Non minus ille tamen toto dominabitur orbe,  
Et geret haud vlla scepra caduca die.*

QVARE FREMVERVNT  
GENTES.

**Q**UID tanto gentes fremitu insanire subegit,  
Quid populi in vanū mente ferūtur opus?  
Nec sese dubitant orbis sociare Monarchæ,  
Ictaque concordēs pacta iniere duces,  
Pacta, quibus Domino, Dominiq; obistere Christo,  
Nil animis veriti numina tanta, parant.  
Vesaniq; minas geminant, atque ore superbo  
Extimulant animos verba per ista suos:  
Cur nos iustorum cohiberi lege sinamus?  
Vincla quousque iuuat, seruitiumq; pati?  
Pugnemus duros tandem rescindere nexus,  
Cura sit abiecto soluere colla iugo.  
Hæc secum: nitidi sed qui tenet ardua cæli,

Aufos

Aufos ridebit talia cœpta viros.

Hos, inquam, falsæ perstringet acumine sannæ

Qui summa arbitrio versat & ima suo.

Quin erit vt risu, sannæque absistat inani,

Atque ira calidos fulminet ore sonos:

Collecto que graui tandem, merito que furore

Conturbet subitis impia monstra malis.

At me constituit Regem, montisque Sionis

Per iuga sancta sui sceptrâ tenere dedit.

Ipsiûs vt vulgem præco mandata fidelis,

Et faciam legis sensa patere suæ.

Ille mihi dixit, mea tu certissima proles,

Hoc ipso de me progenitusque die es:

Quare age tu quodcunq; voles, tibi poscere fas est,

Obueniet votis nulla repulsa tuis.

Iamque tibi stabili gentes ditioe tenendas

Quas mundi quæuis sustinet ora, dabo.

Extremo terræ venient Oriente repostæ,

Occidua venient sub tua iura plagæ,

Quæque rigent Scythico flabris Aquilone remissis,

Quæque Noto afflatæ proximioe tepent.

Ferrea in indomitos virga dominabere, & illos

Franges, ceu fragili vasa coacta luto.

Consilia in melius nunc ergo vestra referte,

Qui geritis valida regia sceptrâ manu.

Quærite quod rectum est posita ruditate doceri,

Iudicij quibus est munus obire datum.

Atque animis Domino seruite timentibus, & iam

Iubila cum trepido sancta ciete metu,

Doctrinam amplexi cupida comprehendite mente,

Quam Patris astrigero Natus ab axe tulit:

Ne fors in iustas Dominus se colligat iras,

Et



Et vos à recto perditus error agat.  
 O fortunati, cùm se succenderit ira  
 Ipsius, & subitus sumserit arma furor,  
 Qui sese totos illi concredere certi,  
 Non alio nixas spes habuere suas.

ARGUMENTVM PSALMI III.

*Principio hostiles motus, subitiq<sup>3</sup> tumultus  
 Terrificant Vatem, concutiuntq<sup>3</sup> metu:  
 Cælestis sed eum tandem fiducia firmat,  
 Mæstaq<sup>3</sup> sperata corda leuantur ope.*

DOMINE QUID MULTPLICATI.

**O** Domine immensi moderator maxime mundi,  
 Qui regis imperio cuncta creata tuo,  
 Quò precor in me adeò numerosus cogitur hostis?  
 Cur petit immeritum tanta caterua caput?  
 Terrifico insurgit me contra turba tumultu,  
 Et valido oppressum perdere Marte parat.  
 Multi etiam ærumnis pergunt illudere nostris,  
 Et vano taleis edere ab ore sonos:  
 Iam superest illi fiducia nulla salutis,  
 Deque Deo non est quòd sibi speret opem.  
 Ipse sed exprobret, quòdcunque videbitur, hostis;  
 Tu mihi præsidium, tu mihi certa salus:  
 Tu decus atque ingens nostrarum gloria rerum es,  
 Depressumque malis tollis in alta caput.  
 A me etiam quoties clamore precante vocaris,  
 Audis clamoras cælica ab arce preces.  
 Ergo iuuat somno, iuuat indulgere sopori,  
 Nec metus infirmæ caussa quietis erit.  
 Quin mea corripiam nocturno membra cubili,  
 Securus, rerum quid meus hostis agat.

Nam

Nam tu firma meæ cùm sis tutela salutis,  
 Cur premat ignauus pectora nostra timor?  
 Millia multa virùm si nos indagine cingant,  
 Non erit vt timeam millia multa virùm.  
 Auxilij ergo tui ne spes mea vana feratur:  
 Surge Deus, præbe quæso salutis opem.  
 Hoc potes, est etenim dextræ bene cognita virtus  
 Summa tuæ, factis arguiturque suis.  
 Nam tua sæpe manus cunctorum contudit ora,  
 Qui mihi non aliquo iure fuere graues.  
 Te quoque cognoui, magna virtute feroces  
 Prauorum denteis comminuisse virùm.  
 Quippe tibi Domino ius est conferre salutem,  
 Nec tribui solo te nisi dante potest:  
 Inque tuum populum de te, ceu fonte perenni,  
 Gratia cum multo larga fauore fluit.

ARGVMENTVM PSALMI IIII.

*Casibus hic iterum duris iactatus, & hoste,  
 Quam prius expertus senserat, orat opem.  
 Post, stultas hominum curas, & inania vota  
 Increpat; inde docet moribus apta pijs.  
 Cætera succincta si queris claudere summa,  
 Qui cupis vtiliter fidere, fide Deo.*

CVM INVOCAREM, EXAUDIUIT.

**C**VM tua sollicita implorarem numina voce,  
 O qui iustitiæ fons, & origo meæ es,  
 Continud audisti miti Deus aure vocantem,  
 Nec despecta tibi nostra querela fuit.  
 Atque miser cùm parte malis arctarer ab omni,  
 Laxasti facili mox spatia arcta fugæ.  
 Nunc tibi nostra salus iterato obiecta periculo

Suppli-

Supplicat auxilio per noua vota regi.  
 Quæso Deus miserere iterum noua damna ferentis,  
 Exaudi que meas, qua prius, aure preces.  
 Dicite sed soboles hominum terrena, quousque  
 Pectora stultitiæ vestra grauabit onus?  
 Ut quid vos species rerum delectat inanis?  
 Falsa quid amplecti, spernere vera iuuat?  
 Egregias Domini tandem cognoscite vires,  
 Venit ab hoc nostris sæpe medela malis.  
 Ille suum miro Sanctum insigniuit honore,  
 Illustri toties cum releuauit ope.  
 Ergo ad eum quoties mea vox emissa feretur,  
 Audiet, & votis annuet apta meis.  
 Sit modus irarum, calidos ita pectoris æstus  
 Sumite, ne faciant criminis esse reos.  
 Quæ mala cunque die prauo sub corde recurfant,  
 Nocte ea sit tacitis cura dolere toris.  
 Iustitiæ sacra ferte pij, date pectoris æqui  
 Munera, & in Domino spem posuisse iuuet.  
 Sed male sollicito multi sic ore loquuntur,  
 O bona quis nobis cernere, opesque dabit?  
 Hæc poscant alij, me nil terrena morentur,  
 Tu mihi sed votum, propositumque Deus;  
 Præcipueque iuuet, certi quod signa fauoris  
 Sint in nos vultus lumina flexa tui.  
 Inde beata meo sinuantur gaudia cordi,  
 Exhilaras sensus hac ratione meos.  
 Vino alij, & Cerere, & pingui cumulentur oliuo,  
 Et quocunque beat germine diues humus.  
 Interea somnus tranquilla pace fruentem  
 Me leuet, & curis soluat amica quies.  
 Me siquidem multis voluisti è millibus vnum  
 Præcipua auxiliij spe stabilire tui.

## ARGUMENTVM PSALMI V.

*Immeritis Vates odiis, patriaq<sup>3</sup>, focusq<sup>3</sup>  
 Actus, & incertus quod bene tentet iter:  
 Ingratas iterat sauo super hoste querelas,  
 Vtq<sup>3</sup> elusa cadant cœpta maligna rogat.*

VERBA MEA AVRIBVS  
PERCIPE.

**E**Xaudi, penetrentq<sup>3</sup>; tuas mea verba per aureis,  
 Sit tibi clamorem noscere cura meum:  
 Aspice sollicito quas fundo pectore voces,  
 O Deus, ô meritò nomina Regis habens:  
 Quippe rogaturus supplex tua numina adibo  
 Manè, dabis nostras pondus habere preces.  
 Ad te Sole nouo sublata mente videbo,  
 Quod mihi præsidium, quàmue pararis opem.  
 Nam cùm tu mores hominum damnaris iniquos,  
 Non est prauorum caussa probata tibi:  
 Non tecum iungent sociæ commercia vitæ,  
 Nec poterunt oculos ante manere tuos.  
 Gens ingrata tibi est operum studiosa malorum,  
 Ora dabis meritæ perfidiosa neci.  
 Sanguine gaudentes fuso, fraudumque magistri,  
 Turba grauis cordi scilicet ista tuo est.  
 At Deus, ipse tua fretus pietate perenni,  
 Securos gressus ad tua templa feram:  
 Illic sinceris precibus, cultuque litabo,  
 Et tibi cum multo vota timore feram.  
 Tu tamen interea, ne me malus implicet error,  
 Duc me iustitiæ per sacra iussa tuæ.  
 Idque magis, quia sic vicino cingor ab hoste,

Vt

Ut metuam capiti tristia damna meo.  
 Fac agè, & hunc cursum vitæ moderare caducæ,  
 Offendant oculos deuia ne qua tuos.  
 Hi siquidem nihil ore vomunt mendacia præter,  
 Pectoribusque subest insidiosa fides.  
 Pestiferum promunt lethali gutture virus,  
 Putentisque velut funeris vrna patens,  
 Halitibus tetris vicinas polluit auras,  
 Sic damnosa sua voce venena ferunt.  
 Decipiunt, vafroque dolos sermone volutant:  
 Iudice te pœnas quas meruere luant.  
 Disijce conatus prauos, mala cœpta refringe,  
 Propositi que sui, fac agè, sine cadant.  
 Et quia non nouère modum sibi ponere culpæ,  
 Ipsos à facie proijce quæso tua.  
 Ut iustas etenim pietas tua colligat iras,  
 Plus nimio factis commeruere suis.  
 At verò lætis animis pia gaudia carpant,  
 Spem quicumque tua de bonitate fouent.  
 Non intermisso miscebunt gaudia plausu,  
 Defensique tuo numine semper erunt.  
 Adde, quòd illorum tu gloria summa futurus,  
 In tua quos cepit nomina gratus amor.  
 Illos quippe tuusque fauor, bonitasque sequetur,  
 Pectora iustitiæ qui studiosa gerunt.  
 Ac, velut obiecto clypeo præsignis amoris,  
 Ne noceant ipsis hostica tela, te ges.

ARGUMENTVM PSALMI VI.

*Se meruisse graueis æterni Iudicis iras  
 Ingemit, & veniam per sua vota petit.  
 Pòst exauditus Domino, precibusque probatis,  
 Exultat: fit spes, qui fuit antè metus.*

DOMI

DOMINE, NE IN FVRORE.

**P**Arce Deus rigido me castigare furore,  
 Inque meum tua ne sæuiat ira caput:  
 Indulge potius veniam commissa fatenti,  
 Ferque laboranti conciliatus opem.  
 Est etenim nullo pectus mihi robore fultum,  
 Et grauis in nostro corpore languor inest.  
 Contingat duro per te medicina labori,  
 En mea terribilis concutit ossa pauor:  
 Aspectuque timet scelerum turbata suorum  
 Hæc anima, & miseræ non datur vlla quies.  
 In mea sed quò nam tardabis vota vocatus?  
 Quo iuuat vsque graueis continuare moras?  
 Huc vultus placidos, aureisque aduerte benignas,  
 Torque malis animam surripe quæso meam.  
 Assere me pietate tua, Pater alme, saluti,  
 Et formidata morte perire vera.  
 Tristia nanque tui meminit post funera nemo,  
 Et quis in inferno est, qui tua facta canat?  
 Questibus assiduis mea mens, gemituque laborat,  
 Imbre per attritas vsque cadente genas:  
 Ecce toros omni perfundo nocte repentes,  
 Strataque de nostris fletibus vda madent:  
 Dum meruisse tuum factis deploro furorem,  
 Destituit solitus lumina fessa vigor.  
 Quippe ego consenui peruersos inter, & illos  
 Tristia qui nostræ damna salutis amant.  
 Vota, precesque valent: procul hinc inimica faceffe  
 Turba, meas Dominus spes dedit esse ratas.  
 Audijt ille meas facili pius aure querelas,  
 Passus & est precibus pondus inesse meis.  
 Tingantur fædo nunc hostes ora rubore,

B

Et

Et grauis ipsorum pectora motus agat.  
 Vertantur retro cassis conatibus omnes,  
 Comprecor, & celeri dent sua terga fugæ.  
 Ac dum me cernent non vanis questibus vsum,  
 Occupet illorum protinus ora pudor.

ARGVMENTVM PSALMI VII.

*Multa pati queritur virosa spicula lingua,  
 Immeritoq; reum proditionis agi.  
 Contra hæc iustitiam Domini vocat, atque Sauli  
 Fatidico extremam præcinit ore diem.*

DOMINE DEVS MEVS.

**O** Quem iure meū veneror Dominūq; Deūq;  
 Pendet ab auxilio spes mea tota tuo.  
 Respice me, & præsens dubiæ succurre saluti,  
 Cultoremque graui libera ab hoste tuum:  
 Ne quando efficiar violento vt præda leoni,  
 Dum deserta salus vindice nostra caret.  
 Si Domine admisi de quo iam culpor, & vllum  
 In manibus crimen sit reperire meis,  
 Si male pro factis vltor malefacta rependi,  
 Spe sine, & auxilio victus ab hoste cadam.  
 Ille meæ infestis animæ conatibus instet:  
 Prendat, & immunda me pede calcet humo.  
 Quamque mei laudem clari peperere labores,  
 Improbus in ventos pulueris instar agat.  
 Hos agedum contra iusto confurge furore,  
 Miretur vires hostica terra tuas.  
 Accipiant pondus legum decreta tuarum,  
 Fac, rata quæ dederis iussa fuisse, sciant.  
 Sic erit, vt longè quæ iam tua numina liquit  
 Vndique turba tibi cingat amica latus.

Erige

Erige te hanc propter celsumque ascende tribunal,  
Qui subigis populos, iudicioque regis.  
Ut petor iniuste, nec me culpa vlla remordet,  
Arbitrio vincat sic mea causa tuo.  
Sed quid adhuc metuam? prauorum casta peribit  
Impietas, & ei proxima finis adest.  
At Deus in fontes confirmabitque, regetque,  
Qui renum latebras, caecaque corda videt.  
Huius ab auxilio est nobis spes vna salutis,  
Qui iuuat obliquis pectora pura dolis.  
Iusticiae vindex Deus, & fortissimus idem,  
Semper & infensus fontibus, atque minax,  
Haudquaquam memores iccirco colligit iras  
Ut frustra condat tempus in omne suas.  
Nam nisi ab iniustis vosmet conuertitis ausis,  
Vulnera vibrato saeuiter ense dabit.  
Vindictae iustos arcum lunauit in usus,  
Atque habet in fontes tela parata viros:  
Tela parata, quibus mortes & vulnera miscet,  
Et quibus ad pœnas maximus ardor inest.  
Qui mihi parturiit fraudes, saeuumque dolorem  
Concepit, vanum protulit ille nefas.  
Foderat hic puteum studio mihi namque doloso,  
Sed miser effossæ lapsus inhæret humo.  
In caput authoris damna insidiaque recurrent,  
Et mala quæ nobis comparat, ipse luet.  
Ergo ego nunc liberque dolis, & crimine falso,  
Vindicis & Domini iam releuatus ope,  
Iusticiam ipsius semper cum laude fatebor,  
Excelsique feram nomen ad astra Dei.



## ARGUMENTVM PSALMI VIII.

*Sæcula præfagit diuino illustria cultu,  
 Quantaq; sit Christi fama futura canit.  
 Insuper eximios homini gratatur honores,  
 Nobile cui rerum contigit esse caput.*

## DOMINE DOMINVS NOSTER.

**O** Domine, ô Princeps, nostriq; æterna potestas,  
 Quàm celebre est toto nomen in orbe tuū!  
 Nam tua stelligeri tendit super ardua cæli  
 Gloria, dantque tui nominis astra notas.  
 Infantis, nec adhuc materno à lacte remoti,  
 De tenero laudes perficis ore tuas.  
 Idque tibi placuit propter fecisse rebelles,  
 Qui sese factis opposuere tuis:  
 Corruat utque ferox istis rationibus hostis,  
 Et si quis vindex ipsius esse velit.  
 Quando ego cælorum spectro seriemque, decusq;  
 Quos digiti artifices composuere tui:  
 Cùm tueor variam Phœben, ignesque globosos,  
 Pulchraque per nitidum sidera fusa polum:  
 Tunc ego, quid sumus? & pietas quæ tanta subegit,  
 Ut memor humanis vsibus ista dares?  
 Quo tibi tam potuit soboles humana placere,  
 Visere ut hanc velles sedis ab arce tuæ?  
 Adde, quòd æthereis hominē propè ciuibus æquas,  
 Et tantum paulò sit minor ille facis.  
 Gloria, & eximio sic hunc amplexus honores es,  
 Ambit ut egregias nexilis herba comas.  
 Das etenim facili dominetur in omnia nutu,  
 Quæ tua cunque potens est operata manus.  
 Cornigerique boues, & oues, hirtæque capellæ,

Quæ

Quælibet & campi gramine pasta pecus:  
 Atque auium quidquid volucris secant aëra penna,  
 Squamigerum quidquid per mare sulcat aquas,  
 Omnia sunt hominum pedibus subiecta, nihilq; est  
 Quod non humana sub ditione premas.  
 O Domine, ô princeps, nostriq; æterna potestas,  
 Quàm celebre est toto nomen in orbe tuum!

## ARGUMENTVM PSALMI IX.

*Hoste super victo canit hic epinicia Regi  
 Et heredo, dederat victor vt esset, opem.  
 Parte alia Psalmi (decimum quam dicere mauult  
 Hebraeus, Psalmos qui facit inde duos)  
 Quæstibus insequiturq; truces animisq; superbos,  
 Qui sese in quosuis omnia posse putant.*

## CONFITEBOR TIBI DOMINE.

**P**ersoluam meritas toto tibi pectore grates,  
 Miraq; facta tuæ concelebrabo manus.  
 In te lætabor, simul exultabo, tuiq;ue  
 Summe Deus laudes nominis vsque canam.  
 Nempe coëgisti cursu dare terga retrorsum  
 In caput aggressos arma mouere meum.  
 Debilitata pigro ceciderunt membra timore,  
 Nec tulit aspectum dira caterua tuum.  
 Te siquidem causam tenui sub iudice victor,  
 Lisq;ue mea arbitrio iustificata tuo est.  
 Scilicet ex alto iudex ô iuste dedisti  
 Incorrupta tuo sancta q;ue iura throno.  
 Gentes terribili increpuiisti voce rebelles,  
 Mox periit iustis impia turba malis:  
 Sic adeò, ad seros ierint vt nulla nepotes  
 Nomina per cunctos non memoranda dies.

Hostiles gladij iam defecere, nec vltra  
 Armabunt cupidas in mea fata manus.  
 Oppida quin etiam validis circumdata muris  
 Fecisti in cineres versa iacere suos.  
 Vtque leuis sonitus vacuas emissus in auras  
 Disperit in totum, signaque nulla manent:  
 Sic quoque cum fama miseri interiere, superfit  
 Nullus vt ipsorum qui memor esse queat.  
 At Pater æthereus qui nutu lucida torquet  
 Sidera, regnator tempus in omne viget.  
 Ipse sibi solium statuit, sanctumque tribunal,  
 Vnde regat populos iura per æqua suos.  
 Perfugium factus tutum, portusque fidelis,  
 Qui miseris apto tempore præstet opem.  
 Et tibi se quisquam dubitet concedere tandem,  
 Nominis audita conditione tui?  
 Quippe tuum vigili quærentes pectore numen,  
 Auxilio nunquam destituisse potes.  
 Ergo Sionæi montis iuga sancta colenti  
 Pangite dulcisonis carmina quisque modis,  
 Et studia ipsius gentes vulgate per omnes,  
 Gestaque non vllis dissimulanda locis.  
 Audeat innocuum quisquam fudisse cruorem,  
 Innocui vindex ille cruoris erit.  
 Ipsum sollicito pauper clamore precetur,  
 Excipiet memori pauperis aure preces.  
 Sit tibi cura precor studio miserante tueri  
 Me Domine, vtque truci vexer ab hoste vide,  
 Per te etenim lethi patula de fauce minantis  
 Semper honorifica sum releuatus ope.  
 Sic tua narrabo portis miracula in illis,  
 Quas arx conspicuæ chara Sionis habet:

Inuen

Inuentamque pia referam tibi mente salutem,  
Nempe astu capta est gens inimica suo:  
Quosque aliis laqueos furtim posuere dolosos,  
Eximere inde suos non potuere pedes.  
Hinc Dominum fas est iustum cognoscere, fontes  
Sape luant propriae quod malefacta manus.  
Postmodo Tartareis etiam mergantur abyssis,  
Et Dominum quotquot mente habuere procul.  
Ille inopum nescit nunquam meminisse suorum,  
Quasque vel ærumnas, quas tolerentue cruces.  
Surge Deus, prohibe ne robur homuncio sumat,  
Aut inopes contra conualuisse queat.  
Iudicis ante tuos oculos agitanda vocetur  
Hostica causa, tuo victa cadatque foro.  
Præfice legiferum, qui prauos territet, ut se  
Mortali norint conditione fatos.  
Cur Domine hinc adeo longè diuersus abisti,  
Quid iuuat à nostris tam procul esse malis?  
Despicias afflictos, horsum neque lumina vertis,  
Tempore quo promptam postulat vsus opem.  
Impius inflata populum dum mente flagellat,  
Surgit inardescens pauperis ira pij.  
Consiliis tamen ille suis comprehenditur, atque  
Vindice te propria captus ab arte perit.  
Venimus huc morum, laudem ut peruersa cupido  
Auferat, atque ausos vulgus iniqua prober.  
Peccator verbis Dominum blasphemus acerbat,  
Impia dum tali dimouet ora sono:  
Sit licet austeræ multò plenissimus iræ,  
Haud tamen, in nostra ut crimina quærat, erit.  
Non Deus ante oculos illi obuersaris, iterque  
Ætatis peragit turpiter omne suæ.

Eius ab aspectu longè tua iura feruntur,  
Nec perspecta tuæ pondera legis habet.  
Inde suos hostes fastu tumefactus inani  
Despicit, ex facili subdere posse putans.  
Dixit enim, felix totum durabo per ævum,  
Et fortuna mihi candida semper erit.  
Pestifer ora gerit maledicto plena nocenti,  
Vocibus ipsius fraus & amaror inest.  
Lingua parit duros rectis infesta labores,  
Quæque nocent gaudet, quæ cruciantque loqui,  
Semet ad insidias sociali fœdere iungit  
Ditibus, infontes vt sine more necet.  
E latebris spectans morti prædestinat illos,  
Abditus ignaras vt leo signat oues.  
Appetit insidiis inopes, & perdere curat  
Quoscunque arreptos in sua vincla trahit.  
Sternit humi captos laqueis, tum corpore toto  
Incumbit, prædam dilaniatque suam.  
Dixit enim, Deus hæc nequeat meminisse, nec vllâ  
Quò mea respiciat crimina tempus erit.  
Tempus adest, exurge Deus, fac sentiat hostis  
Esse tibi, miseros qua tueare, manum.  
Horum nulla tuos subeant obliuia sensus,  
Turbaque pars curæ sit precor illa tuæ.  
Impius insana quid enim te voce laceffit,  
Factaque securum te sua nosse negat?  
Non hæc te fugiunt certè, durosque labores,  
Quos tua perpetimur turba pusilla vides.  
Inque tuas plectenda manus gens illa feretur  
Quæ premit indigna nunc ratione bonos.  
Tota inopis, Pater alme, tibi tutela relicta est,  
Pupilloque potens auxiliator eris.

Brachia

Brachia confringas hominum, viresque nocentum,  
 Et, quibus imprimis turba ea fidit, opes.  
 Nec patiare sui sceleris monumenta relinquunt,  
 Restantésue mali sit reperire notas.  
 Quod precor eueniet, Dominus nã regnat in æuũ,  
 Atque suo reprobos tollet ab orbe viros.  
 Vota precesque inopum faciles admisit in aures,  
 Et tacita audiuit quid sibi mente petant.  
 Vt pia, nimirum, pupillis iura ministret,  
 His quoq; despectos quos modò mundus habet.  
 Vtque superborum tandem iactantia sumat  
 Sæua modum, & terris exulet acta procul.

## ARGVMENTVM PSALMI X.

*Quamlibet infestis nutet tua vita periculis,  
 Spes tamen vsque tuo est certa fouenda sinu.  
 Nil etenim rerum toto patrat in orbe,  
 Quod lateat, vultus effugiatq; Dei.  
 Iure igitur sperent recti, timeantq; nocentes:  
 Leta manent illos, hi mala digna ferent.*

## IN DOMINO CONFIDO.

**C**onfido Domino: quare suadetis amici,  
 Vt subeam monteis, lustra que tuta sequar?  
 Corripiamque fugam, solitus quam passer inire est,  
 Dum sibi tentatam vitat ab hoste necem.  
 Dicitis, en hostis neruos & tela parauit,  
 Vt scelerum tacita clam petat arte rudes:  
 Quæ loca cunque tuis firmaras apta latebris,  
 Sunt etiam hostili diruta cuncta manu.  
 Hæc vos. sed quãnam se fecit labe nocentem  
 Iustus, non vsquam tutus vt esse queat?

Sit procul, vt timidè vobis hortantibus ista  
 Terruerint animos nomina vana meos.  
 Nam Deus omnipotens sancti tenet ardua templi  
 Atria, fidereis sedibus ille manet.  
 Aspicit inde suos, quos fors indigna grauatos  
 Occupat, & curam pauperis vsque gerit.  
 Inde hominum natos oculis obseruat acutis,  
 Quodlibet illorum fasque, nefasque notat.  
 Explorat iustos æqua, iniustosque bilance:  
 Eius & examen fallere nemo potest.  
 Quare quisquis amat vitam male sanus iniquam,  
 Heu, nimis illi anima est inuidiosa sua.  
 Nam Deus in fontes laqueorum depluet imbrem,  
 Vellere perplexos non erit vnde pedes:  
 Sulfura, & horribiles delapsi cælitus ignes,  
 Et stridens madido sæua procella Noto,  
 Sontibus incumbent: Deus illis talia miscet  
 Pocula, quæ semper non vacuanda bibant.  
 Æquus enim Deus est: vrque est, ita diligit æqua,  
 Et rectos vultu cernit amante viros.

ARGVMENTVM PSALMI XI.

*Inualuisse suo queritur scelera impia saclo,  
 Extorremq; sacram cum pietate fidem.  
 Hac contra, auxilium Domini promittit amicum,  
 Qui certam dictis addit vbique fidem.*

SALVVM ME FAC.

**M**agne Pater rerũ scelerato hoc tẽpore nostræ  
 Seruandæ curam quæso salutis habe.  
 Quo tua vix vlli superant præcepta colentes,  
 Quoque fides hominum pæne sepulta iacet.  
 Mendaci certant inter se fallere lingua,

Et cùm dira premant corde, benigna sonant.  
 Labra dolosa Deus cæcas ne cæntia fraudes  
 Conterat, & linguæ plectræ superba secet.  
 Adde quòd insani secum dixere, potentes  
 Nos lingua efficiat quodlibet ausa nefas.  
 Iuris ea est nostri, placitos vtamur ad vsus,  
 Hoc noster Dominus qui vetet ecquis erit?  
 A st inopum gemitu Dominus commotus amaro,  
 Auxilio iam nunc surgere tempus, ait.  
 His loca disponam tutæ opportuna saluti,  
 Securaque quibus fidere mente queant.  
 Hæc Pater æthereus, cuius castissima dicta  
 Purius argento, candidiusque nitent.  
 Fæcibus à terræ quòd perpurgarit, & igne  
 Coxerit artificis terque quaterque manus.  
 Certa fides igitur Domine vt tua pacta sequatur,  
 Nos bonus à gente hac tempus in omne teges.  
 Impius at circum circaque vagabitur errans,  
 Conspectaque pij conditione dolens.  
 Cùm tua sublimis spretam sapientia turbam  
 Latarum cumulo multiplicarit opum.

## ARGUMENTVM PSALMI XII.

*Casibus implicitus duris, arctoq; periclo,  
 Saluificam Domini vir pius ambit opem.  
 Huius ab exemplo, si nos quoque fortè prememur,  
 Discimus in solo figere corda Deo.*

## VSQVEQVO DOMINE OBLIUISCO.

**Q**Uò precor vsque meæ retines obliuia sortis,  
 O Domine, an non sunt finē habitura suū?  
 Quæso meos tandem quoad auersabere fletus,  
 Et medicam misero ferre negabis opem?

Quo-



Quousque miser variis trahar in contraria curis?  
 Perpetuone dolor pectora fessa premet?  
 Quando erit vt lætos hostis iactare triumphos  
 Desinat, & nostris celsior ire malis?  
 Respice versantem mediis Pater alme periclis,  
 Et piue exaudi quas tibi fundo preces.  
 Ne mea lethifico declinent lumina somno,  
 Quæso tua tenebras discute luce meas:  
 Vt meus exultans, atque hac de laude superbus  
 Hostis, ne iactet præualuisse mihi.  
 His etenim qui nos odiis atrocibus vrgent,  
 Gaudia, si subigar, nostra ruina feret,  
 Sed me de pietate tua spes firmat, agitque,  
 Robore ne penitus deficiente cadam.  
 Certè ego si obtineo gratam te dante salutem,  
 Corda mihi salient munere læta tuo.  
 Atque tibi meritæ peragentur carmine laudes,  
 Commoda de cuius tot bonitate tuli.  
 Illius extollam festiuo nomina cantu,  
 Quo verum est quidquam celsius esse nihil.

ARGVMENTVM PSALMI XIII.

*Ætas si qua fuit presenti digna querela,  
 Quam nos atatem viuimus, esse putem:  
 Qua dolus, & vitium, scelus, & violentia regnat,  
 Qua cecidit pietas, qua ceciditq; fides.*

DIXIT INSIPIENS.

**V**Esani secum stolido dixere furore,  
 Fingitur, & falsò creditur esse Deus.  
 Sordibus infecti viciorum plena dedere  
 Fræna sibi infandæ labis ad omne genus.  
 Cernere nec quenquã est, pietas cui sancta colatur,  
 Quique

Quique suum recto pectore tractet opus.  
 De cælo Dominus latè prospexerat omnes,  
 Quos alit humano semine terra satos,  
 Si foret aut quisquam cuius sapientia pectus  
 Tangeret, æthereum diligerétue Patrem.  
 Aduertit cunctos simul errauisse, nec vllum  
 De tot, qui viuant, millibus esse bonum.  
 Gutturum sunt illis busti ceu fossa patentis,  
 Compositos agitat perfida lingua dolos.  
 Aspidibus quanta est vis, & natura nocendi,  
 Condita sub labris tanta venena tegunt.  
 Hinc & amaricie, & maledictis ora redundant,  
 Ad cædemque pedes præcipitanter eunt.  
 Ergo per ærumnas miseri gradiuntur acerbis,  
 Nec facilem norunt pacis inire viam.  
 Quippe metum Domini procul abiecere, nec ipsa  
 Ante oculos cæci proposuere suos.  
 Num sapient tandem qui infando more popellum  
 Triticia iniusti ceu foret esca, vorant?  
 Non prece sollicitat Dominum, hinc trepidantque,  
 Corde superuacuos cõcipiuntque; metus. [pauetque;  
 Ille sed assiduus iustorum partibus adstat,  
 Et pro gente pia sedula bella gerit.  
 Consilijs inopum stulti insultastis, eò quòd  
 In solo cunctas spes habuere Deo.  
 Quis dabit Abramida tandem de stirpe creatis  
 E celsa optatam rupe Sionis opem?  
 O si captiuæ Dominus fera vincula plebi  
 Abrumpat, patrias detque redire domos:  
 Luctibus Israël positus, animoque recepto,  
 Carmina de pleno pectore læta canat.

A R G V -

## ARGUMENTVM PSALMI XIII.

*Quæ ratio vite celo sit digna beato,  
 Qui superas apti sint habitare domos,  
 Psalmus hic appositè sua per compendia monstrat:  
 O si præscriptum ritè sequamur iter.*

## DOMINE QVIS HABITABIT.

**Q**uem Domine alta tui capiēt habitacula tēpli?  
 Cuius tua dabitur dulcis in arce quies?  
 Qui graditur purè, & vitam sine crimine ducit,  
 Iustitiæ & vigili mente capeffit opus.  
 Qui tacito nullam meditatatur pectore fraudem,  
 Nec quod abest animo sustinet ore loqui.  
 Qui studio lædit nullum, vitatque susurros,  
 Fama quibus minui fratris honesta queat.  
 Quamlibet euectos qui nil putat esse nocenteis,  
 Laudatorque pios voce fauente vehit.  
 Qui bene iurabit, nec ager contraria: qui que  
 Mutua cum dederit, fœnora nulla petet.  
 Munera qui in fonti non accipit vlla premendo,  
 Huius in æternum stat sine morte salus.

## ARGUMENTVM PSALMI XV.

*Codice Apostolicos sacro qui continet actus,  
 Ex isto videas fragmina multa loco.  
 Quæ Petrus ad Christum diuino percitus estu,  
 Æthereoq; calens Pneumate cuncta refert.  
 Quid vetat & reliquas Christo transcribere parteis,  
 Cum fieri hoc sensu nil prohibente queat.*

## CONSERVA ME DOMINE.

**M**E Domine ancipiti pressum discrimine serua,  
 Non mea mens aliū cui bene fidat, habet.  
 Dixi equidē, quādo mihi tu Dominusq; Deusq; es,  
 Haud

Haud nostri possis indigus esse boni:  
 Sed tamen vt sanctis terras habitantibus ex me  
 Sit bene, solicator, summaque cura mea est.  
 Qui variis primum miserisque erroribus acti  
 Post fidei celeres arripuere vias.  
 Non mihi conuentus operantes sanguine cogam,  
 Quos pigeat labris vel memorare meis:  
 Vnica tu Domine es patrimonij portio nostri,  
 Tu cibus & calicis potio grata mei.  
 Quinetiam facies iterum reddamur in illas,  
 Abstulerat patrias quas mihi raptor opes.  
 Præclare cessit fundi dimensio nostri,  
 Obligat hæredi fors speciosa mihi:  
 Gratus ob id Domino laudes, & carmina dicam,  
 Qui mihi mente dedit consilioque regi.  
 Insuper & renes per opacæ tempora noctis  
 Recta sequi admonitu me docuere suo.  
 Scilicet ante oculos Dominum mihi semper habebam,  
 Semper enim, mouear ne pede, dexter adest.  
 Hinc non parua meum pertentant gaudia pectus,  
 Gestit & hinc hilares pangere lingua modos.  
 Quin caro spe dulcem concepit nostra quietem,  
 Certa resurgendi tempora nempe manet.  
 Quippe anima infernas non sic mea tædet ad umbras,  
 Carcere in hoc residem semper vt esse sinas.  
 Nec patiere tuo sacratum numine corpus  
 In cineres vnquam putre cadauer agi.  
 Sed duce te in vitam sum restituendus, & almo  
 De vultu capiam gaudia plena tuo.  
 Deliciasque, quibus largè tua dextra redundat  
 Diues, & in cunctos non vacuanda dies.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI XVI.

*Auxilium contra Saulem deposcit, & illos,  
Quos sibi non merito senserat esse graueis.  
Psalmus hic occurat quoties trepidabis ab hoste,  
Inq; tuo poterit commodus esse metu.*

## EXAUDI DOMINE IUSTITIAM.

**I**usta queror Domine ô iustæ miserere querelæ,  
Excipe clementi quas damus ore preces.  
Haud equidem ficta quicquam te voce rogabo,  
Nec mea, quod non est, vox simulantis erit.  
Ius mihi iuste tuo Iudex reddatur ab ore,  
Quamque insons mea sit, iusta que causa, vide.  
Quippe mei latebras omnes atque intima cordis  
Cognita, scrutatus tempore noctis, habes.  
Me quoque ceu rapidæ tentatum examine flammæ  
Spectasti, & labe nulla reperta mea est.  
Nam ne facta hominû faceré, loquerer ve nocentû,  
(Præceptis motus consilijque tuis)  
Sponte mea rerum tristissima quæque subiui,  
Arripiens duras difficilesque vias.  
Utque tuæ incedam qua legis semita ducit,  
Sufficias pedibus robora firma meis:  
Ne mea non licito peccent vestigia motu,  
Utque ferar recto per tua iussa gradu.  
Hæ ego nil dubitans abs te clamore petiui,  
Ante exauditus quod tibi sæpe forem.  
Nunc aures etiam præsentem inflecte querelæ,  
Nec mea sollicitæ respue verba precis.  
Tale tuæ exemplum mihi mansuetudinis edas,  
Aspectu ut mirum cui libet esse queat.  
Scilicet insuesti certam præstare salutem

Infracta

Infracta solitis fidere mente tibi,  
 Qui factis, dextræque tuæ obnituntur, ab illis  
 Me ceu pupillam luminis oro tege.  
 Utque abdit pullos genitrix cristata sub vmbra  
 Alarum, sic me tegmine conde tuo.  
 Ne mihi vim deinceps valeant inferre scelesti,  
 Qui toties rebus damna tulere meis.  
 Mecircumuallant hostes crudelibus ausis,  
 Nec facile est qua non dicere parte premar.  
 Quos quia pinguis adeps, reclusaq; gaza superbos  
 Efficit, inflato plena tumore sonant.  
 Ac licet extorrem patria pepulere, fociisque,  
 Hostili pergunt cingere marte tamen.  
 Obseruantque meos gressus, oculisque sequuntur,  
 Solliciti insidias qua mihi parte locent.  
 Me tanquam rabidi circum sedere leones,  
 Lanigerum impasto quum pecus ore petunt.  
 Et catuli in morem nati genitrice leena,  
 Intentum prædæ quem sua lustra tegunt.  
 Surge Deus, fer opem, studium præuerte malignū,  
 Infestosque mihi protere, sterne solo.  
 Hanc Pater à sæuo vitam defende tyranno,  
 Eripe me gladio, quo furit ille, tuo.  
 Quin etiam tua cura precor me seruet ab illis,  
 Qui certant factis bella mouere tuis.  
 Hos secerne bonis quos raros educat Orbis,  
 Nullaque cum iustis nomina ferre sinas.  
 Ex saturent opibus ventrem te dante repostis,  
 Et bona viuentes quamlibet ampla ferant.  
 Fælices illos proles numerosa coronet,  
 Paruulus accipiat multa relicta nepos:  
 At mihi iustitiæ sat erit si fructibus auctus,

C

Lumini

Luminibus sistar conspiciarque tuis.  
Tunc me felicem satias iucunda tenebit,  
Se tua monstrabit gloria quando mihi.

ARGUMENTVM PSALMI XVII.

*Has Domino grates omni releuatus ab hoste  
Exoluit, Regum vt scripta sacrata docent.  
Urgebant multihinc armis, multi inde premebant  
Insidiis, Domino sed duce victor erat.  
Quumq; sibi hunc talem semper cognouerit, haud se  
Immemorem tanti sustinet esse boni.*

DILIGAM TE DOMINE.

**P**ECTORE summe Deus mihi semper amabere toto:  
Tu mea nam virtus, robur & omne meum es.  
Tu mihi firma basis, dubio in discrimine asylum,  
Meque malis quotiescunque laboro leuas.  
Auxilio mihi promptus ades, quodcunque requiro,  
Et mea spes ideo maxima semper eris.  
Tu meus assertor, clypeus, cornuque salutis,  
Tu vitæ tutor, præsidiumque meæ.  
Ergo ego te Dominum laudans in vota vocabo,  
Sic timeam nullum tutus ab hoste malum.  
Me certè ambierant quales in morte dolores,  
Perculit vt torrens vis inimica metu.  
Ac propè iam captum me dentibus Orcus habebat,  
Pene sepulchrali fune ligatus eram.  
Cùm nostra ad Dominũ timidas vox missa querelas  
Extulit, & sortis forma resecta meæ est.  
Suscipere ille meos facili nil distulit aure  
Clamores templi de nitida arce sui.  
Nostra sub ipsius venerunt lumina vota,  
Passus & est aures illa subire suas.

Intre-

Intremuit tellus eius perculsa furore,  
 Qua steterant montes, est basis acta metu.  
 Scilicet hostiles Dominus non pertulit ausus,  
 Qui mihi tam sæui causa paucis erant.  
 Adde quòd ipsius calida prorupit ab ira  
 Fumus, & è facie torridus ignis iit.  
 Succenditque etiam carbones vindice flamma,  
 Ignea in infestum tela futura caput.  
 Ipse suo veniens curuauit pondere cælos,  
 Nixi nube pedes aduenientis erant.  
 Inuectusque Cherub volucris per inane volauit  
 Ventorum pennis impiger ima secans.  
 Obscuro sese tenebrarum sepsit amictu,  
 Et sua nimboris castra retexit aquis.  
 Illius à facie multo fulgore micante  
 Terrificæ nubes, igniuomæque ruunt.  
 Quas comes insequitur lapidosa grandinis imber,  
 Carboque fulmineo plurimus igne nocens.  
 Nec minus iratus de cælis intonat altis,  
 Datque suas voces, horrificosque sonos.  
 Inde coruscanti iaculatur spicula dextra,  
 Diffugit vnde acies hostica scissa metu.  
 Effundit meritos glomeratim fulgur in hostes,  
 Versaque turbatae terga dedere fugæ.  
 Quin adeo tellus quasi iam compage soluta  
 Ostendit fontes qui latuere prius.  
 Tum patuere oculis magni fundamina mundi,  
 Exarsit Domini tantus ab ore furor.  
 Contra ille è cælis ad me sua brachia tendens,  
 Anxia de mediis pectora duxit aquis.  
 Meque pius valido timidum subduxit ab hoste  
 Immensum vires exuperante meas.



Sorte quidem misera prostratum oppresserat ille,  
 Et via pene mihi clausa salutis erat.  
 Haud mora, sed Dominus dextra me texit amica,  
 Vltorius nostros nec tulit ire metus.  
 Implicitumque malis, arcta que indagine clausum  
 Expediit, pedibus dans spatia ampla meis.  
 Ille meo impendens capiti discrimen abegit,  
 Scilicet ipsius cura fauentis eram.  
 Ac mihi virtutis studium, iustique rependet,  
 Infontesque meas, & sine labe manus.  
 Legis enim sacrae vestigia recta sequutus,  
 A Domino nunquam perfidus erro fui.  
 Ante oculos mihi semper erant caelestia iussa,  
 Sanctaque non renui iura subire Dei.  
 Cumque illo instituam nostrae sic tempora vitae,  
 Crimina ut abstineam purus iniqua sequi.  
 Ipse etenim largo pensabit munere nobis  
 Iustitiae cultus, & sine fraude manus.  
 Moribus ut quisque est, sic te Deus optime praebes,  
 Et studiis hominum conuenienter agis.  
 Sanctus erit quisquam, sanctum te sentiet ille,  
 Insons infontem te sciet esse Deum.  
 Charus erit tibi, cui tu charus habebere, fies  
 Auersus, prauas qui volet ire vias.  
 Ergo humilem praesens populum discrimine solues,  
 Sublatos oculos vltor ad ima premes.  
 O qui animae illustras nostrae Deus alme lucernam,  
 Quaesro tuo tenebras lumine pelle meas.  
 Certè ego surripiar per te tentamine ab omni,  
 Te duce per muri rumpere septa queam.  
 Quippe Dei calles puri, promissaque vera,  
 In quibus ambages nulla, dolusue latent.

Eloquium Domini spectatum examine flamme est,  
Ille suo nixum numine quemque iuuat.  
Quis præter Dominum Deus est, quod denique numen  
Conueniat nostrum præter habere Deum?  
Addidit ille mihi vires, animosque secundos,  
Me docet exortes labis inire vias.  
Quin mihi posse dedit pedibus contendere ceruo,  
Vincere ut ascensu quamlibet alta queam.  
Effecitque meos habiles ad bella lacertos,  
Et dedit æratis arcubus esse pares.  
Me clypeo armasti, sub quo, Deus optime, in omni  
Casu nostra queat tuta latere salus.  
Et tua amica manus, rapiar si quando ruina,  
Vtique mihi promptam ferre recepit opem.  
Me tua perdocuit bonitas stratagemata belli,  
Hostis ut haud vlla vincar ab arte mei.  
Tu loca laxasti pedibus malè peruia nostris,  
Causaque cur titubent iam mihi nulla subest.  
Ergo meos hostes disiecta per agmina victos  
Persequar, & fient præda petita mihi.  
Nec prius absistam tergis instare sequendo,  
Quàm mihi tota cohors viribus orba cadat.  
Sic illos frangam, nequeant ut stare, cadantque;  
Strataque victrici corpora calce premam.  
Nam Deus ad bellum valido me robore cinxti,  
Semper ut inuicti pectoris esse queam.  
Atque horum qui me insurgentes Marte laceffunt,  
Victa meo tribues colla terenda pede.  
Tu facis hostiles nobis dare terga maniplos,  
Et puida ignauam carpere mente fugam.  
Clamarunt, nec erat vellet qui ferre salutem,  
Dumque vocant, clausa rennuis aure preces.

Ergo leuis vento vt diffatur in aëra puluis,  
 Vt pede calcatur, proteriturque lutum;  
 Hostica sic faciam vanescat turba per auras,  
 Et pereat plantis subdita facta meis.  
 Tunc erit, vt populi iam seditione repressa,  
 Me statuas Regem gentibus, atque caput.  
 Imperijque mei mox gens ignota libenter  
 Accipiat, sola voce subacta, iugum.  
 Verùm aliqui à nobis disiuncti mente maligna,  
 Fallere mendaci me studuere dolo.  
 Quos mea prosperitas tanto liuore perurit,  
 Vt speciem senij corpora mæsta trahant.  
 Gressibus ambiguis vltro citroque vacillant,  
 Et dubij huc illuc, quò fauor egit, eunt.  
 Sed viuat Dominus laudum cumulandus honore,  
 Ille erit, ille mihi tempus in omne Deus.  
 Cura sit hunc celebri sublimem tollere voce,  
 Qui mihi perfugium est, qui mihi tuta salus.  
 Das mihi vindictam Deus exercere, rebelles  
 Imperio cogis subdere colla meo.  
 Assertor noster crudeli solus ab hoste,  
 Quem furor, atque animi feruida bilis agit.  
 Ac super infestos victorem dextera tollet  
 Me tua, ab iniustis expedietque viris.  
 Hinc mihi per gentes hilari celebrabere lingua,  
 Et tua non segni nomina voce canam.  
 Magnificè memorans quantos ex hoste triumphos  
 Rex tuus ætherea duxerit auctus ope.  
 Non ego tam variæ pietatis clara tacebo,  
 Et studij in Christum prodita signa tuum,  
 Ipsius inque genus nullo mortale sub æuo,  
 Teque vicens cunctos auxiliante dies.

A R G V.

## ARGUMENTVM PSALMI XVIII.

*Quamuis immensi pulcherrima machina mundi*

*Quanta sit artificis gloria scire facit:*

*Ipsa tamen sanctæ diuina volumina legis*

*Nosse, & amare Deum plus pia corda docent.*

## CÆLI ENARRANT GLORIAM DEI.

**C**ælorum liquidò moles operosa fatetur

Artificis quàm sit gloria magna sui:

Distinctusque globis variè rutilantibus æther

Esse monet validam, quæ creet ista, manum.

Cumque die collata dies, cum nocte recursans

Altera nox, stabili lege, tenore, modo,

Monstrat idem, & Domini vires affirmat easdem,

Illarumque facit quemlibet esse scium.

Barbara nulla adeò gens est, quacunque loquela

Sensa animi tandem proferat illa sui,

Cui non cælorum fas sit cognoscere voces,

Et tam præsentis percipere aure notas.

Nam sonus hic totum sese diffundit in orbem,

Cælorum monitus quælibet ora capit.

His superimpofuit radiantem lumine Phœbum

Conditor, & folium iussit habere suum.

Vnde velut sponsus thalamo prælustis ab alto,

Propositæ veniens gestit amore viæ:

Vt celeri passu, validi de more Gigantis,

Exiguo immensum tempore currat iter.

A summo cælo gressus orditur, & inde

Impiger occiduas voluitur vsque plagas:

Partiturque sui munus feruoris in omneis,

Quamlibet abstrusa detineantur humo.

At Domini lex pura, animasque abducit ab omni

Errore, & vetitis monstrat abire viis.

Certius illa leui, multoq̄ue fidelius æthra,  
 Arguit insignem testificata Deum:  
 Illa grauem sophiam iuuenilibus inserit annis,  
 Magnaque sub paruo pectore sensa creat.  
 Pura Dei mandata hilarant dulcedine corda,  
 Et faciunt, spreto crimine, recta sequi.  
 Vtq̄ue eadem per se sunt puris lucida iussis,  
 Sic aciem mentis luce carere vetant.  
 Quæ porrò Domini res sanctior vlla timore est?  
 Hæc stat in æternos non peritura dies.  
 Vera, Deus quæcunque tulit decreta, nec vlla  
 Parte labant, simul & quæ tulit, æqua tulit.  
 Hæc magis obryzo quiuis desideret auro,  
 Gemma placere magis non pretiosa queat.  
 Mella quoque exuperant grata dulcedine, quosq̄ue  
 Hyblææ volucres composuere fauos.  
 Vnde tuum verè qui se volet esse ministrum,  
 Illa pia seruans sedulitate colit.  
 Nec bene seruans retributio parua sequetur;  
 Mercedis cumulus plurimus inde venit.  
 Sed quis mente queat comprehendere cuncta sagaci  
 Crimina, quæ nostri pectoris ima premunt?  
 Ergo me vitiis pietas tua mundet ab his, quæ  
 Corde sub ignaro non referenda latent.  
 Atque tuum infesta seruum precor assere turba,  
 Quæ tibi, quæ placitis est aliena tuis.  
 Si non ipsa in me fuerit dominata, nitebunt  
 Corda mihi, & totus crimine mundus ero.  
 Atque erit, vt vocesq̄ue meas, meditataq̄ue cordis,  
 Luminibus sperem posse placere tuis:  
 Quo toties ego sum facili adiutore refectus,  
 Vindice quo mea tam sæpe redempta salus.

A R G V.

## ARGVMENTVM PSALMꝰ XIX.

*Vox populi est pro Rege suo fera bella parante,  
Præsentem Domini sollicitantis opem.*

*Sic quoque Paule mones pro Regibus esse rogandum,  
Proq̄ his, quos rerum publica cura premit.*

EXAUDIAT TE DOMINVS.

**T**E rerum Dominus velit exaudire precantem  
Quum premeris duris, & tua vota iuuet.

Quique Deum sese toties præstare Iacobo

Haud renuit, te huius nomina sacra tegant.

Auxilium è sancto per eum tibi detur Olympo,

Deque Sionæo plurima monte salus.

Sacrorum nunquam non sit memor ille tuorum,

Detque adipe vt tua sint grata holocausta suo.

Annuat oranti, cordisque optata secundet,

Consilium fælix prosperet omne tuum.

Nos tua cernemus victricia signa, tuusque

Læticiæ nobis causa triumphus erit.

Acceptumque Deo nos saluos esse feremus,

Pangentes hilari carmina festa sono.

Omnia certa velit Dominus quæcunque rogabis,

Parisque sit optati nulla caduca tui.

Omne non fallor, Dominus discrimina Christo

Depulit, & reducem præstitit esse suo.

Audiet hunc cæli sanctis de sedibus, atque

Auxilium dextra cunctipotente dabit.

Curribus hi fidant, & equis, veneranda Tonantis

Nomina opem nobis sollicitata ferent.

Impliciti laqueis illi cecidere, iacentque,

A lapsu nobis surgere, stare datur.

Restat vt incolumem serues Pater optime Regem

Vtque velis nostras suscipere aure preces.

## ARGVMENTVM PSALMI XX.

*Tam tibi Messia describit regna patenter,  
Hæc ut vix aliò vertere sensa queas:  
Huic decus æternum Dominus, vitamq; perennem,  
Hosticâq; inuictò sub pede terga dedit.*

## DOMINE IN VIRTUTE TVA.

**Q**uòd lætos agitet tacita Rex mente triumphos,  
Id Domine inuicti roboris omne tui est.  
Quin super auxilioque tuo, partaque salute  
Gaudia concipiet non habitura modum.  
Te tribuente tulit votis quæcunque petiuit,  
Nec vanas eius passus es ire preces.  
Anticipansque preces etiam bona summa dedisti,  
Vix fieri quicquam postulet ille, facis.  
Atque ut Regali spectetur vertice, circum  
Cinxisti gemma nobiliore caput.  
Ille sibi vitam petiit, tu viuere in æuum  
Præstas, & lethi casibus esse procul.  
Huic tua præclarum seruatrix dextera nomen  
Conferet, immensi caussaque honoris erit.  
Hunc dabis æterni nobis in pignus amoris,  
Lætus erit vultu lætificante tuo.  
Fidit enim Domino, nec de pietate supremi  
Cur quicquam dubitet numinis esse potest.  
Hostibus occurrat, Rex ô, tua dextera cunctis,  
Effugiantque grauem ne patiare manum.  
Cum tuus in iustas vultus se colliget iras,  
Ipsos ut clibanum torrido ab igne coques.  
Hos Dominus merita turbabit feruidus ira,  
Et cuncti flammæ præda voracis erunt.  
Progeniem extrema perdes à stirpe scelestam,  
Viuiere nec gentis semen in orbe fines.

Te siquidem infanda certarunt tollere fraude,  
 Successu miseri sed caruere suo.  
 Ergo dabunt sua terga fugæ, rursusque fugatos  
 Excipiet neruus tensus in ora tuus.  
 Fac Domine exurgens virtus effulgeat ista,  
 Vox illam semper nostra, chelysque canet.

## ARGUMENTVM PSALMI XXI.

*Omnia si voluas cecinit quæ carmina Vates,  
 Materies elegis nulla erat apta magis:  
 Nanque quod hinc cernis, penè est miserabile totum:  
 Sunt gemitus Christi, vulnera, probra, cruces,  
 Post tamen ipse suos deuicta morte triumphos  
 Prædicat, & vero credula sæcla Deo.*

## DEVS DEVS MEVS RESPICE.

**M**I Deus ô tandè Deus huc pia lumina flecte.  
 Cur modò sum curæ pars ego nulla tuæ?  
 Cur vox nostra suo solamina nulla precatu  
 Impetrat, & nullam spreta salutis opem?  
 Eheu, sed delicta vetant sperare salutem,  
 Et faciunt nimiùm quod precor esse procul:  
 Hinc ego subsidium totis cùm posco diebus,  
 Non tua fit votis auris aperta meis.  
 Quin prece sollicito nocturni temporis horas,  
 Nec taciti quidquam temporis ire sino.  
 Tu sancta interea securus sede moraris,  
 O Israëlis gloria, lausque domus.  
 In tua nostri olim sperarunt numina patres,  
 Sperarunt, & eis spes fuit illa bono.  
 Cladibus impliciti cupida te voce vocarunt,  
 Nec mora cælesti venit ab arce salus.  
 In te sunt soliti dubiis spem ponere rebus,  
 Euentuque spei non caruere suæ.

Quid



Quid vetat hos etiam per te mitescere casus?  
 Cur minùs, ac fuerit, dextra benigna tua est?  
 Corpore de nostro species humana recessit,  
 Et meritò nomen vermìs inane geram.  
 Sum velut opprobrium vulgi, & proiectio plebis,  
 Aut etiam si quid vilius esse potest.  
 Qui mala nostra vident, læto simul ore cachinnant,  
 Materiamque suis risibus inde trahunt.  
 Adde quòd infesta faciunt conuitia lingua:  
 Exacuuntque in me probra, mouentque caput.  
 Meque ita subsannant, Domini se numine fretum  
 Iactitat, auxilio liberet ille suo.  
 Maturetque manus eius præbere salutì,  
 Quando sibi charum tam vehementer habet.  
 Sed licet hæc patiar, licet hi tam sæua loquantur,  
 Iusta spei tamen est caussa probanda meæ:  
 Nam mihi vitaleis fecisti solus ad auras  
 De grauido facileis ventre patere vias.  
 Spes mea prorsus eras, cùm matris ab vbere pèdes,  
 Exiguus tenero lac puer ore bibi.  
 Ex vtero excepit tua me pia cura cadentem:  
 Ex ipso matris tu mihi ventre Deus.  
 Ne procul hinc abeas, quoniã mala nostra propinqua  
 Accelerant demta sæua pericla mora. (quanti  
 Deseror interea solus, solusque relinquor,  
 Auxilio nec qui subleuet, vllus adest.  
 Me pingues vituli, atque aruinæ pondere tauri  
 Obsedere graues, nec patet vlla salus:  
 In me horum fauces auido panduntur hiatu,  
 Et rapidi sese more leonis habent.  
 Robur abit, fluidæque instar dilabimur vnda,  
 Ossa suum nec habent dissociata locum.

Corda mihi in medio ventris perculsa liquefcunt,  
Non fecus, ac calidis indita cera focis.  
Teflaque vt ad moto torretur fictilis igni,  
Torrída fic virtus facta dolore mea eft.  
Lingua cohæfit iners fitienti fixa palato,  
Membraque funereus funt mea facta cinis.  
Vndique me circumcingit numerosa canum vis,  
Me premit ex omni parte maligna cohors.  
Foderunt clauis palmas immitibus ambas,  
Pes mihi vterque fera cuspide foffus hiat.  
Sic intenderunt miserandi corporis artus,  
Offa queant oculis quæque notare fuis.  
Lumina tormentis pascunt crudelia noftris,  
Et yolupe eft tantas poffe videre cruces.  
Diuifere meo raptas de corpore vefteis,  
Sorte trahunt, fcindi quæ minus apta fuit.  
Huc ades ergo Deus, nec opẽ mora longa rerardet:  
Ad mea nunc oculos flecte pericla tuos.  
Eripias animam frameæ, denti que canino,  
Omni bus ereptis quæ modò fola mea eft,  
Affere prostratum patula de fauce leonis,  
Ne fine tam crudo me precor ore rapi.  
Denique vim misero sæuarum auerte ferarum,  
Vnica quæ media cornua fronte gerunt.  
Sic tua gratifona denarrans nomina voce,  
Cognita curabo fratribus effe meis.  
In populo furget per me tibi fama frequenti,  
In medijs ego te cœtibus ore canam.  
Vos quoque mente pia Dominũ quicunq; timetis,  
Tollite honorificis hunc fuper aftra fonis.  
Præcipuè verò clari genus omne Iacobi,  
Tam bene promeritum glorificate Deum.

Hunc

Hunc Israël's timeat numerosa propago,  
 Pectoribus sanctos concipiatque metus.  
 Non etenim spreuit, nec dura reppulit aure,  
 Effusas misero pauperis ore preces.  
 Non sibi permisit placidos auertere vultus,  
 Quando ego clamosa voce precabar opem.  
 Propterea in magnis hominum conuentibus olim  
 Tu, Deus, & mea laus, & meus hymnus eris.  
 Ac tibi persoluam mea vota videntibus illis,  
 Quos sincera tui cura timoris habet.  
 Pauperie pressi dapibus pascentur opimis,  
 Dum satias auida liberet ora fame.  
 Inque hilareis pasti laxabunt guttura cantus,  
 Grataque de grato pectore signa dabunt.  
 Qui Dominum quarunt, horum per sæcula viuens  
 Corda, nec vllius conscia mortis erunt.  
 Gens ea, quæ fuerat cultus oblita probatos,  
 Excideratque Dei cognitione sui,  
 Facta memor rursus, tota se mente reflectet  
 Ad Dominum, extremis quamlibet orta plagis.  
 Eius adorabit numen, venerabile numen  
 Omnis ab Allophyla gente profecta domus.  
 Et meritò, siquidem ius inuiolabile regni  
 Solus habet, gentes imperioque reget.  
 Deliciis terræ pingues, opibusque Monarchæ  
 Æthereis pascent pectus, & ora cibis:  
 Quos vbi gustarint, Dominum tum denique notum  
 Mutati sancta religione colent.  
 Illius ante oculos reuerenter procidet omnis  
 Membra sepulchrali qui sua debet humo.  
 Quin aded mea mens eius quoque viuet honori,  
 Deque mea obsequium posteritate feret.

Ventu.

Venturūque genus Domino annumerabitur, à quo  
 Gratia iustitiæ notior eius erit.  
 Illa sit efficiet populo manifesta sequenti,  
 Fecit ab æterno quem sibi dextra potens.

## ARGUMENTVM PSALMI XXII.

*Exultat sese esse Deo, suaq; omnia cura.*

*Scilicet hæc sancto est gloria summa viro.*

*Tum bene qui viuunt, & cum virtute, beatos*

*Vir pius exemplo prædicat esse suo.*

## DOMINVS REGIT ME.

**Q**Uò mihi tot frustra curæ sumuntur inanes?  
 Cur capiunt tantos pectora nostra metus?  
 Me siquidem Domini bonitas pascitque, regitque,  
 Illius assiduè sedula cura sumus:  
 Dumque reget, deerit nostris nihil vsibus vnquam,  
 Suppetet & rerum copia larga satis.  
 Nam me pascendum felicibus intulit aruis,  
 Læta vbi carpentem graminis herba iuuet:  
 Propter aquæ riuum, qui vires haustus anhelas  
 Instauret, charam me quasi pascit ouem.  
 Fortè animus noster miseris erroribus actus,  
 Cœperat à Domino deuius ire suo:  
 Ille sed amissis errantem reddidit oris,  
 Et malè conceptum vertere iussit iter.  
 Quin me iustitiæ quà ducit semita flexit,  
 Nominis immensi pro ratione sui.  
 Ergo per vmbrosas, & mortis imagine tristeis,  
 Si me contingat tendere fortè vias,  
 Nulla pericla timens gradiar, Pater optime: quando  
 Tu mihi seruator, tu mihi pastor ades.  
 Nam pastoralis tua me pia virga coërcet,

Nc,

Ne, quò non deceat pergere, fortè ferar.  
 Per loca præcipiti ne peccem lubrica lapsu,  
 Innitor baculo, sustineorque tuo.  
 Quid, mihi quòd mensas epulis instruxeris, hostes  
 Quas videant, visis inuideantque bonis?  
 Insuper & caput hoc pingui perfundis oliuo,  
 Et tuus exhilarat quàm mea corda calix?  
 Nec dubito tua quin pietas, dum vita manebit,  
 Perque vias mihi erit, perque pericla comes:  
 Cælicolùm donec tribuas mihi templa subire,  
 Et tecum longos posse habitare dies.

ARGVMENTVM PSALMI XXIII.

*Afferit imperium Christi immortale futurum,  
 Ipsius esse orbem, quidquid & orbis habet.  
 Eius item nulli montem conscendere prauo  
 Fas fore, nam pietas hoc dare sola potest.*

DOMINI EST TERRA.

**S**olius Domini est almæ possessio Terræ,  
 Quæque capax pleno continet illa sinu.  
 Ipsius est Orbis terrarum, & quotquot eodem  
 Labentis vitæ tempora in Orbe trahunt.  
 Eius enim vasto imposuit fundamina Ponto,  
 Et stabilem mediis fluctibus esse dedit.  
 Cui sed erit Domini fas montem ascendere, & eius  
 In sancto plantas figere posse loco?  
 Cui manus innocua est, qui prauæ nescia culpæ  
 Corda, nec vllius conscia labis habet.  
 Qui sibi non frustra vitæ data munera credens,  
 Officium peragit nauiter omne suum.  
 Qui neque proponens vlli dare damna propinquo  
 Cælica periurus numina fraude citat.

Hic

Hic feret à Domino cumulati dona fauoris,  
 Ille salutiferam sentiet eius opem.  
 At genus hoc hominū est, ipsum qui mēte requirūt,  
 Atque tui vultus ô Iacobe Dei.  
 Soluite claustra duces, æternæ assurgite portæ,  
 Rex summi decoris limina vestra subit.  
 Quis summi decoris Rex iste est? dicitis. Ille  
 Ingenti Dominus robore, Marte potens.  
 Soluite claustra Duces, æternæ assurgite portæ,  
 Rex summi decoris limina vestra subit.  
 Inclytus hæc tandem quis Rex subit ostia? Rex est  
 Virtutum Dominus, gloriæ honore potens.

## ARGUMENTVM PSALMI XXIII.

*Cum fugiens natum genitor, natiq; furores,  
 Perditus amissa penè salute foret,  
 Non dubitat quin quod stultus peccauerat olim,  
 Certa sit ambigua sortis origo sua.  
 Ergo delicti veniam, pacemq; precatur.  
 Post laudat Dominum, mox iteratq; preces.*

## AD TE DOMINE LEVAVI ANIMAM.

**A**D te animus sua vota me<sup>9</sup>, Pater alme, leuauit,  
 Inque tua tantum spes pietate mihi est.  
 Ne patiare rogo vt mihi sit sperasse pudori,  
 Meque tua cassum rideat hostis ope.  
 Scilicet auxilium de te quicumque moratur  
 Constans, spe nunquam fallitur ille sua.  
 Probra ferant animo potiùs quicumque maligno,  
 Nulla sit à nobis cum data causa, nocent.  
 Iamque tuas ostende vias ductoris egenti,  
 Et mihi quæ tua sit semita, pande precor.  
 Forsitan errantem, & legis malè vera secutum

D

Sensa

Senſa tuæ, in rectum flecte benignus iter.  
 Nam mihi tu Deus es, conſeruatorque ſalutis,  
 Spes mea, te totos operiorque dies.  
 Illa tuam ſubeat clemens miſeratio mentem,  
 Quæ tibi conſtanter condito ab Orbe manet:  
 Néue meæ queſo ſpectes commiſſa iuuentæ,  
 Nec memor errores pectore conde meos.  
 Quin age, pro ſolita noſtri pietate memento,  
 Ac bonitate illa quæ tibi ſemper ineſt.  
 Quid dubitem? Dominus cunctis eſt blādus, & idem  
 Dedita iuſticiæ pectora rectus amat.  
 Erranti normam ſtatuet legemque magiſtram,  
 Vt certum teneat qua gradiatur iter.  
 Diriget ingenijs placidos, vt iuſta capeſſant,  
 Atque ſuam mites inſtruet ire viam.  
 Omne opus ipſius miſeratio prompta, fidesque  
 Erga hos ſolicite qui ſua pacta colunt.  
 Peccatis ignoſce Deus tua nomina propter,  
 Me quibus heu toties ſuccubuiſſe dolet.  
 Ecquem diuini tangit pia cura timoris,  
 Sinceraque pius religionis amor?  
 Hunc Deus, ingenium ſtudio cuiſcunque dicarit,  
 Inſtituet qua ſit lege paranda ſalus.  
 Inſuper adiiciet cunctorum larga bonorum  
 Commoda, terrenas ſemen habebit opes.  
 Scilicet hos Dominus baſis vt firmiſſima fulcit,  
 Qui timida ipſius numina mente colunt.  
 Illis ſancta ſuæ legis ſecreta recludit,  
 Atque ea, quæ pepigit, fœdera nota facit.  
 Propterea ad Dominum conſtantia lumina tollo,  
 Arcebit pedibus vincla parata meis.  
 Aspice, & ô noſtræ te nunc lacrymæque preceſque  
 Tan-

Tangant, oranti fer miseratus opem.  
 Ecce vides, nemo est, qui me defendat, amicus:  
 Sum miser, atque omni te sine cassus ope.  
 Pectus in hoc quanti sese fudêre dolores!  
 Tu miserum tantis obsecro solue malis.  
 Respice pauperiem hanc, toleratos cerne labores:  
 Da veniam, sordes eluitoque meas.  
 Cernis vt infesto mihi turba increuerit auctu  
 Hostica, non aliquo crimine læsa nocens.  
 Hinc precor hanc animam subeat tibi cura tueri,  
 Et mea placata tolle pericla manu.  
 Ne sine fœda meos tingat confusio vultus,  
 Spes etenim solo te mihi fulta manet.  
 Infantes nexu mihi se iunxere tenaci,  
 Et quibus infedit simplicitatis amor:  
 Me quia sincerum videant, & fraude carentem,  
 Auxilij infracto pectore ferre moras.  
 Gentis ab Israële satæ miserere laborum,  
 Et dura oppressam inole, malisque leua.

## ARGUMENTVM PSALMI XXV.

*Insidiis pressus cæcis, & crimine falso,  
 Horum contendit se meruisse nihil.  
 Auxiliumq; vocat Domini, quo iudice caussa  
 Stet sua, ne prauis debita damna ferat.*

## IUDICA ME DOMINE, QVONIAM.

**M**Axime stellantis cæli dominator & orbis,  
 Iudicio incolumis stet mea caussa tuo.  
 Tempus ad hoc tali vitam si more peregi,  
 Vt fuerit nullis impia facta malis.  
 Quin tibi confidens tanta vestigia cura  
 Componam, mihi sit firmus hic vsque tenor.



Me Domine explora, atque meas scrutare latebras,  
 Corque meum, & renes ignibus vre tuis.  
 Nempe meis oculis pietas tua iugis oberrat,  
 Deque tua retuli gaudia summa fide.  
 Nunquam sustinui vanæ me iungere turbæ,  
 Cumque malis gressus associare meos.  
 Nam mihi propositum est cœtus odisse malignos,  
 Nec mihi cum reprobis hospitij vsus erit.  
 Innocua infantes dextras cum gente lauabo,  
 Complectarque aras sordibus absque tuas.  
 Vt tua sancta meas veniant encomia ad aures,  
 Vt tua facta simul prodigiosa canam.  
 Nam mihi dulce sacri est templi spectare decorem,  
 Quemque tua insedit gloria magna locum.  
 Perdere me nolis quo perdis more nocentes,  
 Quosque reos fusi causa cruoris agit.  
 In quorum manibus sceleris vis maxima iniqui,  
 Multaque sunt turpi munera parta modo.  
 At nostri mores culpa caruere nocente,  
 Adfere me, & solita pro pietate iuua.  
 Ecce mei mansere pedes in tramite recto,  
 Et minimè obliquas, te duce, carpo vias.  
 Propterea laudum semper, Pater alme, tuarum  
 In populi cœtu præco frequentis ero.

ARGVMENTVM PSALMI XXVI.

*Concepisse Dei se spem de numine firmam,  
 Ipse suum quamuis vrgeat hostis opus.  
 Lucem illum, roburq<sub>3</sub> suum, clypeumq<sub>3</sub> salutis  
 Esse sua: sibi nil posse nocere malos.*

DOMINVS ILLVMINATIO MEA.

**Q**um Dominus lux sit longè certissima nobis,  
 Perpetuo, inque malis tuta potèsq<sub>ue</sub> salus:  
 Cur

Cur timida excipiam occurfantes mente procellas,  
 Quasue hominum possim iure timere minas?  
 Quumque sit & robur vitæ, & protectio nostræ,  
 Quis mihi solliciti caussa tremoris erit?  
 Dum mihi turba nocens furiato corde propinquat,  
 Ut carnes auido deuoret ore meas:  
 Turba nocens eadem casto frustrata labore  
 Corruit, & fracto robore plangit humum.  
 Milite plena truci aduersum me castra locentur,  
 Impavidus dubio stabo timore procul.  
 Me contra pugnaeque graues, & praelia surgant,  
 Auxilij tanto spes mihi maior erit.  
 Hoc vnum petij, voto hoc feruente requiram  
 Donec ero, ut Domini sit mihi in æde locus.  
 Detur & eiusdem dulcis spectanda voluptas,  
 Templaque felici lucida inire pede.  
 Sæpe aliàs intra sua me tentoria condens  
 Texit, & auxilio tempore atroce fuit.  
 Quin adeo in propriis adytis, sacroque recessu  
 Admisit latebras, occuluitque meas:  
 Vnde ego ceu factus scopulosa victor in arce,  
 Hostiles celso vertice sperno minas.  
 Ergo tuas aras faciam multa hostia cingat,  
 Teque tuo in templo voce, lyraque canam.  
 Interea solitos animo reuocare dolores  
 Urgeor, & mæsto tristia more queri.  
 Exaudi tandem iustis clamoribus vsum,  
 Præbe autem, & presso fer miseratus opem.  
 Nil agimus verbis quod non & corde loquamur,  
 En versa ad vultus tendimus ora tuos.  
 Perpetuoque tuam faciem mihi querere certum est,  
 Hinc ego præsidium, non aliunde petam.

D 3

Quæso

Quæso velis illam facilem huc aduertere, nec te  
 Auferat à famulo mobilis ira tuo.  
 Adiutor meus esto, meam nec desere causam,  
 Neu speretum abiicias ô mea sola salus.  
 Me pater ac genitrix pariter liquere, pio sed  
 Ceu gremio exceptum me tua cura fouet.  
 Legem pone mihi, & certo procedere gressu  
 Instrue, ne positis nectar ab hoste dolis.  
 Parce voluntati me inimicæ dedere turbæ,  
 Nec patere hanc nostris se saturare malis.  
 In me etenim testes consurrexere scelesti,  
 Et peragunt falso criminis ore reum.  
 Haud tamen efficiet, Domini quin cōmoda sperem  
 Viuorum latis cernere pacta locis.  
 Nec mea mens dubites Dominum expectare vitili  
 Pectore, neu frangi te patiare mora.  
 Ac licet ille tuis tardet succurrere rebus,  
 Tardantem cures sustinuisse tamen.

ARGVMENTVM PSALMI XXVII.

*Supplicat hostili pressus discrimine pœnas  
 Ne, peccatores quas meruere, ferat.  
 Præcipue in duplices vota hæc concepta videntur  
 Corde aliud solitos voluere, & ore loqui.*

AD TE DOMINE CLAMABO.

**A**D te summe Deus mea vox clamore feretur,  
 Ne tacitus clausa spreueris aure preces.  
 Ne si quando velis voto obsurdescere nostro,  
 Sim similis stygium qui subiere lacum.  
 Excipe quæso precum voces, cū te oro, mearum,  
 Et tollo duplices ad tua templa manus.  
 Ah tibi ne subeat fonti me inuoluere turbæ,

Nec

Nec sine me iniustis debita pœna premat.  
 Qui blandum ostendunt simulata pace fauorem,  
 Interea vapido pessima corde tegunt.  
 Dependant illi meritas te vindice pœnas,  
 Nequitiaëque ferant congrua damna suæ.  
 Ut quantum manibus tibi peccauere profanis,  
 Supplicij tantum te tribuente luant.  
 Nam neque, qua decuit, cura tua facta notarunt,  
 Gestaque nosse tuæ non studuere manus.  
 Euertes igitur pœnis vlttricibus illos,  
 Spesque resurgendi non erit vlla super.  
 Plurima sed Domino semper sit gratia, lausque,  
 Qui facili nostras audiit aure preces.  
 Auxilium ille meum, mea que est protectio solus,  
 Huic ego confidi, præsto fuitque mihi.  
 Hinc quoque nostra caro rediuiuo læta vigore,  
 Illius vt laudes dicere fecit amem.  
 Quippe sui populi longè inuictissima virtus,  
 Atque salus Christi tuta potensque sui est.  
 Nunc Deus alme tuo populo seruator adesto,  
 Et cumula sortem quæso fauore tuam.  
 Hanc Rege perpetuò, hæc sublimem tolle per omne  
 Tempus, & æterno gaudeat aucta bono.

## ARGUMENTVM PSALMI XXVIII.

*Quemlibet ad Domini dignos hortatur honores,*

*Omnia nam voci subdidit ille suæ.*

*Nil est omnino quicquam terræue, poloue,*

*Quod non continuò, si modò iussit, erit.*

## AFFERTE DOMINO.

**P**ignora cornigerùm Domino deferte bidentum,

Estis ab æthereo qui genitore sati.

Ferte Deo laudes, hunc tollite honoribus, huius

D 4

Nomina

Nomina sollenni glorificate modo.  
 Pro meritis rerum Domino persoluite cultus,  
 Et decus in propria, quod iuuet, æde ferat.  
 Vox Domini pluuias fundit vel sola liquentes,  
 Et scissis iusso nubibus igne tonat.  
 Nutibus ille suis cumulum subiecit aquarum,  
 Temperat insani stagna profunda freti.  
 Vox Domini virtute potens, & robore multo  
 Magnificam sese rebus vbique probat.  
 Vox Domini cedros Libani confringit olentes,  
 Frangit odoriferi fortia ligna iugi.  
 Ipsum adeò Libanum, dictu mirabile, montem  
 In vituli morem subsiluisse facit.  
 Tollitur & Sirion sonitu tremefactus eodem,  
 Seque velut proles rhinocerotis agit.  
 Vox Domini flammam interfecat ignis, & alta  
 Tesqua quatit, potis est tesqua mouere Cadis.  
 Terrificat ceruas Domini vox missa fugaces,  
 Et iustam fœtus excutit ante diem.  
 Robora prosterbens, nemorum condensa renudat,  
 Cassaque nubificis frondibus illa facit.  
 Hoc est insigni Dominus cur laude feratur  
 Omnibus, inque sua sentiat æde decus.  
 Idem cum terras liquidis submerferat vndis,  
 (Diluuiò mundi depopulante nefas)  
 Rex erat, & sicut rerum tum flexit habenas,  
 Sic quoque sceptrum potens tempus in omne geret;  
 Inuictaque suum populum virtute beabit,  
 Et pacis faciet prosperitate frui.

## ARGVMENTVM PSALMI XXIX.

*Membra diu Vates morbo depastus atroci  
 Penè erat vt Stygio mergeret amne caput.  
 Sed prece, sed lachrymis, placato numine tandem,  
 Quo decuit grates ore leuatus agit.*

## EXALTABO TE DOMINE QVONIAM.

**S**Vblimi te laude feram magni arbiter orbis,  
 Huius & officij est non mihi caussa leuis.  
 Me tua nam medio bonitas ex hoste redemit,  
 Gaudentemque meis non tulit ipsa malis.  
 Ager, & inualidus magna te voce vocaui,  
 Continuoque tua sum recreatus ope.  
 Ex auidis nigri me duxti faucibus Orci,  
 Non passus tristem morte subire lacum.  
 O igitur talem Psalmis celebrate parentem,  
 Quotquot habet sanctæ religionis amor:  
 Atque hilares illi laudes depromite, cuius  
 Se bonitas tantis arguit vsque notis.  
 Illius ira quidem breuis est, punctoque residit,  
 At fauor eiusdem tempus in omne manet.  
 Turbidus attulerit si quicquam flebile vesper,  
 Postera lætitiâ lux feret orta tibi.  
 Dixi equidem rerum cursu durante secundo,  
 Res valeat sortem nulla mouere meam.  
 Nec satis expendi grata tua munera lance,  
 Neglexique tuum dicere quicquid eram.  
 Nempe tua hos dederat successus dextra beatos,  
 Tuque mei virtus vna decoris eras.  
 Ora sed auersus postquam mihi blanda negasti,  
 Turbatæ retro res abiere meæ.  
 Nil mihi tunc aderat, nisi te inclamare, tuumque

D 5

Hac

Hac numen querula sollicitare prece:  
 Quæso mei fuerit quis tandem sanguinis vsus,  
 Si mea corrumpi corpora morte finis?  
 Anne tibi puluis laudes, & carmina dicet,  
 Aut poterit fidei nuncius esse tuæ?  
 Excipias molli nostras precor aure querelas,  
 Nec differ placidam ferre salutis opem.  
 Haud mora, longa meos planctus in gaudia vertis,  
 Mæstaque tristitiæ ponere signa iubes,  
 Et me lætitia circundas vndique, vt esset  
 Vnde tibi grates mens mea semper agat.  
 Hæc tua temporibus nullis benefacta silebit,  
 Et mea te semper Musa chelysque canet.

ARGVMENTVM PSALMI XXX.

*Cùm miser incoleret taciti deserta Mahonis,  
 Saluificas querens per latebrosa vias,  
 Supplicibus fertur Dominum tentasse querelis,  
 Quas oculis Psalmus subiicit iste tuis.*

IN TE DOMINE SPERAUI.

**I**N te spero Deus, ne spem patiare caducam  
 Esse meam, nostris porrigere rebus opem.  
 Da turpi nunquam suffundar quæso rubore:  
 Fac agè, ne frustra te coluisse ferar.  
 Aspicias vt sæuo mea vita prematur ab hoste,  
 Iustus es, exerce nomine digna tuo:  
 Id precor, & lachrymis clemens aduertere nostris,  
 Defensorque mihi protinus esse velis.  
 Ferre moras nequeo, subsidunt membra labore,  
 Ad mea festina tendere vota manus.  
 Te mihi tutorem præbe, rupemque timenti,  
 Quo sit ab hostili vita leuata metu.

De nostro cunctæ fluxerunt corpore vires,  
Viribus ipsa suis mens quoque cassa iacet.  
Tu Deus inuictum robur mihi, tuque quietis  
Portus es, atque meæ meta petenda fugæ:  
Te sequar, & lætum propter tua nomina duces,  
Inque tua felix pascar alumnus humo.  
Retia discindes, mihi quæ posuere maligni,  
Me quibus implicitum gens inimica tenet.  
Nam mihi defensor propenso numine præsto es,  
Cuius ab auxilio stat mea certa salus.  
Supplicis ergo animæ sis ô Pater optime custos,  
Anxius in sanctas quam tibi trado manus.  
Ipse etenim memini te duros ante labores  
Auxilio facili sæpe leuare meos.  
Te simili exhibeas nunc ô ratione fauentem,  
Quo nihil immensus verius Orbis habet.  
Odisti quibus est vanis mens dedita rebus,  
Quosque iuuat studium frugis inane sequi.  
At tu spes rerum solus, columeque mearum,  
Gaudia das animo firma futura meo.  
Quippe tua est pietas non dedignata iacentem  
Aspicere, & lapsis rebus adesse meis.  
Sed neque compendi es me passus ab hoste, dedisti  
Effugium pedibus per spacia ampla meis.  
Continuare piæ bonitatis munera perge;  
Auxiliumque precor sit mihi iuge tuum.  
Pondere sudantis grauium miserere laborum,  
Quod me multa premant tristia nempe vides.  
Nulla quies misero est, turbantur lumina ab ira,  
Tabescit venter, nec iuuat ora cibus.  
Prorsus ab immenso defecit vita labore,  
Atque ætas omnis luctibus acta mihi est.

Sic



Sic mea pauperie ceciderunt robora, vt ossa  
 Vix fatis hoc corpus debilitata ferant.  
 Mechari opprobriis onerant plus hostibus ipsis,  
 Effectus notis sum quoque causa metus.  
 Deseruere fuga cuncti mea damna videntes,  
 Seque à me celeri proripuerè gradu.  
 Ortaque iam nostri tanta est obliuio, quam si  
 In cineres versum corpus inane forem.  
 Omnibus excidimus, nec me contemptior olla est,  
 Quæ fracta & nullis vsibus apta iacet.  
 Scilicet audiui circum circaque morantes  
 Impingant famæ crimina quanta meæ.  
 Ac simul aduersum me dum coiere, cruentam  
 Omnibus vna fuit mens mihi ferre necem.  
 Interea tibi fido tamen, sic mente loquutus,  
 Est Domine in manibus fors mea cuncta tuis.  
 Assere me miserum, atque hostili furrripe dextræ,  
 Diraque frustrentur qui mihi fata parant.  
 Irradia mihi luce tui Pater optime vultus,  
 Consuetamque piæ fer bonitatis opem.  
 Nec patere vt nobis queat improperare malignus  
 Auxilium sprete voce petisse tuum.  
 Impia turba Orcum subeat perfusa rubore,  
 Desinat vt fraudes lingua dolosa loqui,  
 Quæ temere in fontem violat sermone superbo,  
 Et fastu nimium quo nocet illa suo.  
 O quàm magna tui est dulcoris copia, quam tu his  
 Arcanam seruas qui tua iussa timent.  
 In te confisos cumulatè hoc munere complès,  
 Idque palam quiuis testis vt esse queat.  
 Illos fronte tua tectos fida arce locabis,  
 Sæuæ vbi nil valeant terrificare minæ.

Admisse

Admissosque tuam semper tutabere in ædem  
 A dira linguæ garrulitate procul.  
 Gloria, lausque tibi, qui nobis vrbe receptis  
 Munita, mirum te pietate facis.  
 Quum miser vrgerer vires superante malorum  
 Pondere, & hinc fierem penè ego mentis inops,  
 Sepe dolens spretum tibi me, abiectumq; querebar,  
 Et penitus curam te posuisse mei:  
 Quum tamen interea nullo non tempore nostras  
 Exciperes, vanas nec paterere preces.  
 Ergo pij meritum Domino persoluite amorem,  
 Qui sibi præstari quærit, amatque fidem.  
 Præmia abundanter porro illis digna rependet,  
 Quos fastu tumidos acta superba iuuant.  
 Perdurate animis, & mente estote virili,  
 Spes quibus in Domino condita tota Deo est.

## ARGUMENTVM PSALMI XXXI.

*Quos vita non vlla grauant errata, beatos:*

*Contrà infelices, quos mala noxa premit:*

*Quas habeat vires propria confessio culpæ,*

*Quamq; bona ad veniam sit metanœa, docet.*

## BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT.

**F**elices, quorum Dominus peccata remisit:  
 Felices quorum crimina tecta latent.  
 Felix, quem Dominus culpæ non arguit, & qui  
 Pectora nullius conscia fraudis habet.  
 Ah, quia sub tacito commissa piacula corde  
 Continui, nec vox est mea falsa palàm,  
 Ossa meæ effete speciem traxere senectæ,  
 Dum sinerem nullum fletibus esse modum.  
 Durius incubuit siquidem tua dextera nobis,  
 Nocte, dieque illam sensimus esse grauem:

Fecit

Fecit ea vt vellem admissos expendere lapsus,  
Mens mea dum stimulis esset adacta tuis.  
Propterea tibi nostra palàm delicta retexi,  
Nec fuit admissum condere cura nefas.  
Cumque ego sic mecum, Domino peccata fatebor,  
Haud mora, fassuro turpe remittis opus.  
Hanc omnis veniam poscet tua numina sanctus,  
Possè locum precibus cùm sciet esse suis.  
Tunc sæuum tumidis si fluctibus æstuet æquor,  
Is procul infesto gurgite tutus erit.  
Tu mihi confugium es, sic duris vndique septo  
Rebus, vt apta meæ sit via nulla fugæ.  
Tu facis, vt nobis labentia pectora surgant:  
Me circumpositis erue quæso malis.  
A me vera tuo dabitur prudentia cordi,  
Quæque sit ostendam semita tuta tibi.  
Sedulò nostra tuos præcedent lumina gressus,  
Et ductu nunquam destituere meo.  
Ne similes mulo sitis, similésue caballo,  
Qui circumspectæ nil rationis habent.  
Quorum frenantur spumantibus ora lupatis,  
In quenquam morsu ne violente ruant.  
Multa flagella ferent soliti peccare: Deo sed  
Confisum pietas officiosa teget.  
Gaudete in Domino, atque animos attollite iusti,  
Et quisquis rectæ nomina mentis amas.  
Lætitiæ noua signa Deo date, tollite plausus,  
Impura quorum pectora labe carent.

## ARGUMENTVM PSALMI XXXII.

*Que tria diuinas decorant ante omnia laudes,*

*Et quibus immensum nouimus esse Deum:*

*Cunctipotens virtus, bonitas, sapientia summa,*

*Omnia subiecto carmine clausa legis.*

EXULTATE IUSTI IN DOMINO.

**L**Audibus exultim iusti celebrate parentem  
Æthereum, rectos res decet ista viros.

Mentē hilari dulces citharæ percurrite neruos,

Et dena resonent nablia tacta fide.

Hactenus ignotos Domino persoluite cantus,

Pfallite sublato gutture dante sonos.

Ille nihil, nisi quod rectum iustumque, profatur,

Quodque facit, fidei laude probatur opus.

Ius amat, & iusta mundum ratione gubernat,

Et totam bonitas eius adimplet humum.

Voce sua excelsos cælorum condidit orbes,

Spiritu & afflavit vim, speciemque suo.

Indomitumque salum veluti contraxit in vtrem,

Imponens cellis stagna profunda suis.

Hunc omnis tellus Dominum formidet, & omnes

Qui quacunque patent terrea regna colunt.

Dixit enim, dicto pariter nouus extitit orbis:

Iussit, & emisso iussa steterē sono:

Quæque simul gentes ineunt consulta profanæ,

Dissipat, ad metam nec finit ire suam.

Ille sub arcano meditantibus impia corde

Successum populis principibusque negat.

Ast animo contrà Dominus quodcunque peregit,

Durat, & immotum tempus in omne manet.

Ante alias ergo gens felicissima longè,

Cui Dominum verè contigit esse Deum.

Et

Et rursus felix populus quem possidet ipse,  
 Delegitque suæ sortis habere loco.  
 Ille humiles terras summo prospexit Olympo,  
 Luminaque humanum flexit in omne genus.  
 Altus ab arce sua vidit de sanguine cretos,  
 Mortali vitam quotquot in orbe trahunt.  
 Utque sigillatim cunctorum pectora finxit,  
 Sic quoque perspectum quid meditentur, habet.  
 Non faciet saluum numerosa potentia Regem,  
 Te neque seruarint robora vasta gigas.  
 Fallit equus, certamque nequit præstare salutem,  
 Quamlibet exæquet cursibus ille notos.  
 Respicit hos verò Dominus quibus ipse timori est,  
 Ipsius & qui spem de pietate fouent.  
 Faucibus ut tales nigri subducatur Auerni,  
 Pascatur & in media dans alimenta fame.  
 Hunc igitur mens nostra Deum confisa moratur,  
 Eius enim bonitas nos iuuat atque regit:  
 Nostraque lætitia perfundet pectora, & eius  
 Ut bene speremus nomina sancta dabunt.  
 Denique queso Deus tua nos miseratio seruet,  
 Quomodo sperantes fidimus vsque tibi.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIII.

*Certum præsidium, si sit fiducia certa,  
 Esse Deum, & votis reddere plura docet.  
 Quare hominum generi diuina capeßere iussa,  
 Iustitia & rectam suadet inire viam.*

BENEDICAM DOMINVM IN OMNI,  
**T**Empore perpetuo Domini præconia dicam,  
 Illum continua vox mea laude canet.  
 Materiam præbente Deo mens læta triumphat,

Ille

Ille est lætitiæ causa, modusque mea.  
 Mansuetis res ista viris referatur ad aureis,  
 Gaudia quò possint sorte agitare pari.  
 Magnificos cuncti mecum persoluite honores,  
 Inque mea socias iungite laude vices.  
 Ipsius ó læta celebremus nomina voce,  
 Tam bene promerita laudis agamus opus.  
 Anxia enim Dominum rogitaui mente, precesque  
 Est passus demta pondus habere mora.  
 Cumque foret mea fors dubio subiecta periclo,  
 Ipsius ad nostram dextera venit opem.  
 Huc huc pressa malis, moneo, pia turba venite,  
 Accipite ætherea lumen ab arcè nouum.  
 Urgeat hunc aliquis precibus, non ille repulsam,  
 Oraue frustrato rincta rubore feret.  
 Idque fide careat, si non hoc sensimus ipsi,  
 Res est euentu cognita vera meo.  
 Namque hic pauper opem vigili dum voce rogaret,  
 Annuit, & facili se dedit aure Deus.  
 Nec mora, qui fuerant soliti premere ante labores,  
 Sustulit, è cunctis eripuitque malis.  
 Qui Dominum metuunt, illos munimine circum  
 Angelica è cælo cura, manusque teget.  
 Eruet hos, valido quamuis urgente malorum  
 Pondere, ab infesto nec sinet hoste premi.  
 Discite mortales, vestrosque aduertite sensus,  
 Cernite quam suauis sit pietate Deus.  
 Cuius in hunc omnis spes inclinata recumbit,  
 Huius fors felix, conditioque viri est.  
 Eia igitur, Dominum vobis sit cura vereri,  
 Qui geritis pura pectora sancta fide.  
 Nil etenim ipsius desit cultoribus vnquam,

E

Illis

Illis semper opum copia larga fluit.  
 Cernis vt infelix dites exercet egestas,  
 Et carpens lenta viscera tabe fames?  
 Non ea, qui Dominum metuunt, ærumna fatigati  
 Omnia sed lætæ commoda sortis habent.  
 Huc agite ô pueri, & monitis aduertite nostris,  
 Dum vobis Domini monstro timoris iter.  
 Ecquis amat certæ, & longæuæ tempora vitæ,  
 Ecquis felices & sine labe dies?  
 Principiò offendat ne quâ mala lingua videto,  
 Concinnentque vafros ne tua labra dolos.  
 Sedulus abstineas vlli succumbere culpæ,  
 Et tua virtutis dextera tractet opus.  
 Dedita tranquillæ tua sint quoque pectora paci,  
 Summaque propositi cura sit illa tui.  
 Nam Deus infonteis oculis despectat amicus:  
 Cumque rogant, facili percipit aure preces.  
 Contrâ, eiusdem iræque graues, vultusque minaces  
 Hos super, acta quibus flagitiosa placent,  
 Sic adedò, vt totis eradat nomina terris,  
 Nulla sit illorum posteritasque memor.  
 At iusti quoties Dominum clamore vocarint,  
 Fiet sollicitæ nulla repulsa preci.  
 Ille aderit præstò, & melioribus asseret illos,  
 Quo pressi duris tempore rebus erunt.  
 Scilicet est illis, quorum mens ægra, propinquus,  
 Atque humiles certa corde tuerur ope.  
 Sæpe quidem fortuna bonos aduersa fatigat,  
 At illos clemens liberat inde Deus.  
 Quid, quòd & ipsorum Domino sunt singula cura  
 Ossa, nec ex illis vlla perire sinet?  
 At sceleratorum sunt fata miserrima, & illos,

Qui

Qui iustum oderunt, sæua ruina manet.  
 Contrà, animas Dominus cura tutabitur omni,  
 Quorumcunque sibi dedita corda videt.  
 Ipse nec ancipiti pressum discrimine linquet,  
 Qui sese Superùm fudit ab arce tegi.

## ARGUMENTVM PSALMI XXXIIII.

*Saule super tristes iterans, vt sepe, querelas,  
 Aetherei iustam iudicis orat opem.  
 Nam sese fidum cum re prestaret in omni,  
 Esse ferus nunquam destitit ille tamen.*

## IUDICA DOMINE NOCENTES ME.

**E**Xcute iudicio vitæ mihi damna ferentes,  
 Iustaq; in hostiles fer Domine arma globos.  
 Corripe tela manu valida, clypeumque capesse,  
 Optatam misero surge daturus opem.  
 Stringe enses, turbæque viam interclude sequenti,  
 Dicque salus animæ sum tibi facta meæ.  
 Horum quæso genas pudibundo tinge rubore,  
 Interitum vigili qui mihi corde parant.  
 Coge referre pedes retro, pudeatque sequutos  
 Auctores cladis quos iuuat esse meæ.  
 Pulueribus similes fiant à turbine motis,  
 Angelicaque cadant percutiente manu.  
 Lubrica per tenebras ponant vestigia, & ipsos  
 E cælo veniens Angelus vltor agat.  
 Quippe mihi occulere plagas nil tale merenti,  
 Criminibusque grauior, culpa nec vlla mea est.  
 In mala fac inopina cadant, capiantur ab ipsis  
 Retibus, exitio quæ explicuere meo.  
 Tunc erit vt Domino mea mens exultet in illo,  
 Quo mihi contigerit læta iuuante salus.



Dicere cuncta mei certabunt corporis ossa,  
 Quod tibi par rerum machina numen habet?  
 Eripis imbellem superanti viribus hosti,  
 Atque inopem retrahis de rapiente manu.  
 Me contra testes confurrexere, mihi que  
 Ut fonti ignotum proposuere scelus.  
 Ac mihi pro rectè factis ea damna rependunt,  
 Ut virtus animæ sit sine fruge meæ.  
 Sed tamen hi, licet vsque graues, licet vsque molesti,  
 Si dederant tepido languida membra toro,  
 Testabar verum mutata veste dolorem,  
 Proque meo vilis tegmine saccus erat.  
 Quin memet macerans victum mihi sponte negabam,  
 Ac mea ut in proprio vota fuere malo.  
 Sicut amicitia, aut fraterno fœdere iunctos,  
 Sic mihi eos placidè neçtere cura fuit.  
 Funeraque ut natus genitricis luget ademtæ,  
 Casibus illorum sic quoque mœstus eram.  
 Interea læti nostra de clade triumphant,  
 Et cogunt cœtus in mea damna feros.  
 In me turba leuis virosæ verbera lingua  
 Congerit, & facti non mihi causa patet.  
 Scinduntur studiis, sed mens tamè omnibus vna est,  
 Afflictum sannis exagitare suis.  
 Dentibus infrendent aprorum more furentum,  
 Et carnes cupiant iam laniasse meas.  
 Quæso quoad tantis auertes lumina pœnis?  
 Mi Deus ô animæ sit tibi cura meæ.  
 Reddatur paci studiis erepta malignis,  
 Nec sibi me prædam gaudeat esse leo.  
 Tunc accepta feram vitæ tibi dona receptæ,  
 Atque tua in populo facta frequente canam.

Effic

Effice ne nostra lætentur clade superbi,  
 Qui mihi, nec meritò, pectora læua gerunt,  
 Meque petunt odiis nimiùm constanter iniquis,  
 Quantumuis charum nutibus esse notent.  
 Scilicet ore mihi pacem simulante loquuntur,  
 Interea tacitos comparat ira dolos.  
 Me super in latum diductis rictibus aiunt,  
 Euge euge optatum cernimus interitum.  
 Hæc mala cùm videas, abrumpe silentia quæso,  
 Semper & infirmum tu mihi claude latus.  
 Exurge, & tandem iudex mea iura tuere,  
 In causamque velis aduigilare meam.  
 Iustitiaque tua presso succurre clienti,  
 Fac precor vt de me gaudia nulla ferant.  
 Nec patere vt secum taciti lætum euge frequentent,  
 Ac dicant, nostris dentibus esca iacet.  
 Erubeant quorum nostri sunt gaudia luctus,  
 Quique meis læti casibus esse solent.  
 Consciaque infami stimulentur corda pudore  
 De nobis soliti grandia verba loqui.  
 At qui me gaudent causa vicisse, triumphant,  
 Lætitiæque gerant pectora plena nouæ.  
 Atque hilares votis Domino concordibus optent  
 Magnificas laudes tempus in omne dari,  
 Qui dederit tandem, superatis hostibus, vt  
 Tranquilla famulo posse quiete suo.  
 Iustitiam quoque grata tuam mea lingua loquetur,  
 Inque tua totis laude diebus erit.

E 3

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI XXXV.

*Panditur aeterni bonitas inuicta Monarchæ,  
 Qui meritos etiam fulmina sæua, fouet.  
 Cumq; modum sceleri mortales ponere nolint,  
 Non tamen ipse malis desinit esse bonus.*

## DIXIT INIUSTVS VT DELINQVAT.

**I**Niustus secum sic est tacito ore loquutus:  
 In delicta audax, & scelus omne ferat.  
 Talia signa suæ dat mentis, constet vt eius  
 Ante oculos nullum nūminis esse metum.  
 Scilicet arte etiam diuinos fallere vultus  
 Certat, & his coram multa dolosus agit.  
 Ergo odium infelix prauis sibi repperit ausis,  
 Et Deus hinc ira cur moueatur, habet.  
 Ore suo haud quicquam nisi fraudes fatur iniquas,  
 Et quosuis monitus ad meliora fugit.  
 Plurima nocturno meditans peruersa cubili  
 Voluit, in his curis tempora noctis eunt.  
 Tum comitē si quis scelus ad quodcunq; requirat,  
 Fit comes, & socium non piget esse malis.  
 It cælo Domine, ô pietas tua summa, fidesque  
 Hinc tua cæruleas tenditur vsque plagas.  
 Arduitas quanta est excelsis montibus vlla,  
 Copia iustitiæ tam quoque magna tuæ.  
 Iudicij porrò ratio inscrutabilis, alti  
 Gurgitis instar habet quem tegit vnda maris.  
 Saluificas homines, simul & iumenta, fouesque,  
 O quàm multiplicem vim pietatis habes!  
 Ergo hominum soboles alarum fisa tuarum  
 Tegmine, materiam cur bene speret, habet.  
 Ebria gaudebit pastu satiata beato,

Affluit

Affluit vbertim quo tua larga domus.  
 Deque voluptatis dabis vt torrente salubri  
 Exsaturare sitim iugiter illa queat.  
 Te penes est etenim vitæ melioris origo,  
 Deque tuo nobis lumine lumen erit.  
 Quæso tuæ extendas munus pietatis ad omnes,  
 Qui tua turba tui cognitione sumus.  
 Et tua iustitia his pateat, qui recta sequuti,  
 Obliquas vitæ deseruere vias.  
 Nulla superborum veniēs mihi planta propinquet,  
 Nec me dimoueat sede profana manus.  
 Sed bene habet, pœnas merita subiere ruina,  
 Dum mala ad iniustum mente feruntur opus.  
 Tantaque vis illos tentatis expulit ausis,  
 Vt nequeant stabili se modò ferre pede.

## ARGVMENTVM PSALMI XXXVI.

*Hortatur, ne nos moueat fors læta malorum,  
 Quæq; illis Zephyro vela ferente tument.  
 Maiorem pariunt hæc, inquit, gaudia pœnam,  
 Gratia lætitiæ longa nec esse potest.  
 Contrà impollutus, atque obseruantibus æqui,  
 Quodcunque acciderit, spondet obesse nihil.*

NOLI ÆMVLARI IN MALIGNANTIA.  
**N**Oxia quòd nullis iactetur turba procellis,  
 Læta quòd iniusti, vel mala pauca ferant:  
 Non ideo inuidia quidquam cruciere molesta,  
 Ne, caue, res animum torqueat ista tuum.  
 Nam velut ardescunt subducto gramina succo,  
 Sic fluet istorum gloria rota breui.  
 Aut velut hortensis nimio superata calore  
 Herba cadit, lapsu sic properante ruent.

E 4

Quare

Quare age, de Domino spe te solate fideli,  
 Et tua mens rectum, dextraque tractet opus.  
 Quin hilaris terram motis procul incole curis,  
 Quæ tibi sufficiant eius alere bonis.  
 Sint tibi delitiæ Dominus, tua summa voluptas:  
 Et quæcunque tuum cor volet, ille dabit.  
 Non illi rerum dubites aperire tuarum  
 Quis status, aut ipsis si qua pericla times.  
 Tum bene confide, atque animo spes cõcipe certas,  
 Sic tua cuncta manu prouehet ille sua:  
 Siderea que parem luci confurgere honorem  
 Iustitiæque tuæ, iudicii que dabit.  
 Qualia vel potius sunt puri lumina Phœbi,  
 Ostendit mediam cum breuis umbra diem.  
 Esto Dei placitis concors, & subditus illi,  
 Ut que sit auxilio per tua vota pere.  
 Parce queri, illorum si votis omnia cedant,  
 Qui mala non æqua plurima mente gerunt.  
 Nec tibi sit tanti prauos hac viuere sorte,  
 Pectus ut ira tuum, vel furor ullus agat.  
 Aut etiam exemplo stultè succensus iniquo,  
 Ipsorum instituas improba facta sequi.  
 Nam cuncti propera ferientur morte nocentes,  
 Stabit & exigua vita scelestæ mora.  
 At qui fortuna Dominum contentus in omni  
 Sustinet, & gaudet, quæ velit ille, pati,  
 Talis, crede mihi, longo durabilis æuo  
 Terrenas facili sorte tenebit opes.  
 Sustine, & inuidiæ paulum suspende dolorem:  
 Impius exiguo tempore nullus erit.  
 Tum si quæsieris solitæ vestigia pompæ,  
 Fluxerit, atque vllò non erit ipse loco.

At mites solida terram statione tenebunt,  
 Et de multiplici gaudia pace ferent.  
 Peccator vigili obseruabit pectore, si qua  
 Moliri iusto possit ab arte malum.  
 Quin dabit insanos fremitus, ac dente minaci  
 Eder propositi signa timenda sui.  
 Ast illum cælo Dominus ridebit ab alto:  
 Nam propè, qua pereat, prospicit esse diem,  
 Iam tacitum vagina ensem rapuere maligni,  
 Et sæui tensis arcubus esse parant:  
 Quò possint inopem turpi strauisse ruina,  
 Vt iugulent solitos nil nisi recta sequi.  
 Sed vice conuersa gladij vertentur in ipsos,  
 Atque ferent, aliis quam statuere, necem.  
 Et qui curuatur sceleratos arcus in vsus,  
 Rumpetur, cassis diffilietque minis.  
 Optanda est potius iusti res paruula, quàm quas  
 Impius immensas non bene cogit opes.  
 Nam quibus è rebus surgit fiducia fonti,  
 Accidet vt fractas conterat vna dies.  
 Porrò iustorum Dominus res firmat, & auget,  
 Ne possint vlla procubuisse die:  
 Quique suos nullo macularunt crimine mores,  
 Nota horum memori tempora mente tenet.  
 Ipsorumque ideò nullo violanda sub æuo  
 Non periturarum portio stabit opum.  
 Nulla ferent duris frustrati damna diebus,  
 Temporibusque famis quo saturentur erit.  
 Interea vita qui peccauere nocente,  
 Interitum victu destituente ferent.  
 Quique Deo studiis obstant, vbi semet honore  
 Implerint, simul hos extuleritque decus,

Haud mora, ceu fumus tenuis vanescit in auras,  
 Sic quoque deficient, lapsaque pompa fluet.  
 Scire velis insons fonti quid discrepet, & qua  
 Haud malè discernas inter vtrunque nota?  
 Mutua peccator cum fortè receperit æra,  
 Non erit, admonitus soluere vt illa queat.  
 Ast inopum contrà largè miserebitur insons,  
 Quasque pius, miseris donet, habebit opes.  
 Nam quibus ipse fauens Dominus benedixerit, illis  
 Quæ teneant stabili terrea sorte dabit.  
 At quibus irato contrà maledixerit ore,  
 Protinus illorum est disperitura salus.  
 A Superis iusti gressus flectentur, & huius  
 Est vitæ ratio cura futura Deo.  
 Quod si fortè cadat, Dominus, ne noxa sequatur,  
 Seruantem curat supposuisse manum.  
 Nos fuimus iuuenes, & adest modò tardior ætas,  
 Ductaque per multos est mihi vita dies:  
 Sed tamen haud vllò desertum tempore vidi,  
 Iustitiæ cuius dedita corda forent.  
 Atque adeò tali prognatum semine nullum,  
 Supplice qui miserum posceret ore cibum.  
 Iustus enim assidua pietate adiutat egenos,  
 Vtendasque suas dat miseratus opes.  
 Vnde etiam soboles, Domini prouecta fauore,  
 In cursu lætæ prosperitatis erit.  
 Quare age, peccati causas vitare memento,  
 Sedulus & rectum fac opereris opus,  
 Iugiter vt possis sedes habitare beatas,  
 Et tua sit nulla vita caduca die.  
 Iustitia est quia grata Deo, nec deseret vnquam  
 Ille suos, demto sine tegentur ope.

Iniusti

Iniusti verò pœnis tradentur acerbis,  
 Cumque simul praua posteritate cadent.  
 At fixa infontes terram statione tenebunt,  
 Fine per æternos non subeunte dies.  
 Inclyta manabit iusti sapientia ab ore,  
 Linguaque iustitiæ verba, notasque dabit.  
 Ille geret Domini venerandam pectore legem:  
 Diriget hinc gressu non titubante pedes.  
 Aduigilat, iusti que vias obseruat iniquus,  
 Certat & incautum præcipitare neci.  
 Sed pius infestis manibus Deus eximet illum,  
 Nec sinet auxilio deficiente premi.  
 Cumque olim exactus veniet quæfitor in omneis,  
 Illius haud isto iudice causa cadet.  
 A Domino expecta trepidis solatia rebus:  
 Et quam te iussit carpere, carpe viam.  
 Hinc tibi surget honos, hinc extollere, tuique  
 Perpetuò terræ commoda iuris erunt:  
 Cumque olim fontes fato perdentur acerbo,  
 Spectabis nullo sollicitante metu.  
 Vidi ego diuitiis, fastuque tumescere iniquum,  
 Et tanquam cedros tollere ad astra caput:  
 Postmodo præterij, nusquam fuit ille; requiro,  
 Quem tenuit, nec erat signa videre loci.  
 Innocuos igitur mores, nullaque caducos  
 Parte tene, ratio quæque sit æqua vide.  
 Hac etenim vitam si quis ratione gubernet,  
 Pacis ad extremum munere lætus erit.  
 At simul iniusti pariter cum stirpe peribunt,  
 Excipietque omnes flebilis hora malos.  
 A Domino sed certa salus infontibus instat,  
 Rebus in afflictis sedulus addet opem.

Auxi-



Auxiliumque dabit pressis, atque afferet illos,  
 Nec sinet hostileis præualuisse manus:  
 Cladibus implicitis promptam feret ille salutem,  
 Quòd positas in eo spes habuere suas.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVII.

*Postulat vt Domini queat euasisse furores,  
 Quos, quia peccarat, commeruisse dolet.  
 Tum queritur, misera vt fuerit sibi sortis origo,  
 Spreuisse immensi iussa verenda Patris.*

DOMINE NE IN FVRORE.

**N**E mea castiges iusto peccata furore,  
 Neu tua corripiat me Deus ira precor,  
 Pectora vindicibus fixisti nostra sagittis,  
 Et tua me tristi pondere dextra grauat.  
 Integritas omnis nostra de carne recessit,  
 Dum metuunt iras anxia corda tuas.  
 Quin mea dum vigili perpendo crimina mente,  
 Non est pax trepidis ossibus vlla meis.  
 Supprimat admissum capitis fastigia crimen:  
 Crimen, quòd veluti me graue mergit onus.  
 Hei mihi, rursus hiat scelerum malè iuncta cicatrix,  
 Et renouat vulnus mens malè sana meum.  
 Deprimor infelix, ingenti mole malorum  
 Obrutus, immodicè quæ mea terga grauat.  
 Hinc dolor in tristi versatur pectore semper,  
 Et mea nunc habitus corpora mæstus habet.  
 Intestina nouo flagrant ardore, nec vlla  
 Pars modò quæ non sit corporis ægra mei est.  
 Corporis inualidi virtus animique recessit  
 Omnis, & exhausto non datur vlla quies.  
 Inde feris lacerum cruciatibus vndique pectus,  
 Fletibus

Fletibus innumeris sollicitavit opem.  
 Tu mea vota vides, quid mens desideret audis,  
 Et gemitus nostri cognita caussa tibi est.  
 Sollicito nobis turbantur corda labore,  
 Membraque consueto robore nostra carent:  
 Lumina caligant cæcis obducta tenebris,  
 Nec lux est oculis, quæ fuit antè, meis.  
 Quid, quòd amicitia quondã mihi fœdere iuncti,  
 Quique alij notæ proximitatis erant,  
 Tela propinquantes me contra infesta minantur:  
 Meque, velut stantes impio ab hoste, petunt.  
 Quosque mihi socios dubiis in rebus habebam,  
 Aversi partes deseruere meas?  
 Parte alia studiis hostes grauioribus instant,  
 Tristia quærentes qua mihi fata parent:  
 Atque hi sollicitè dum quærent apta nocendi  
 Tempora, dum quauis lædere ab arte student:  
 Versant ore dolos, & inania verba loquentes,  
 Me laqueis certant implicuisse suis.  
 At mihi, ceu surdo, prauis sermonibus auris  
 Clausa est: lingua, velut vocibus orba, tacet.  
 Sum similis factus surdo, & conuitia contra  
 Ceu qui nil, sese quo tueatur, habet.  
 Atqui ego quòd tacitus sceleratæ opprobria linguæ  
 Tanta feram, careat quòd mea lingua sonis,  
 Hæc vna est ratio, nostræ quia tota salutis  
 In pietate tua spes mihi fixa sedet.  
 Tu Deus excipies nostræ suspiria mentis,  
 Et placidas aureis ad mea vota dabis.  
 Præcipuè cura est, olim ne cladibus hostis  
 Gaudia de nostris læta superbus agat.  
 Nam si vel paulùm mihi pes titubarit eunti,

Hosti-

Hostibus actutum surgere crista solet.  
 Non ego defugio pœnas, nullumque recuso  
 Supplicij, infligat si tua dextra, genus.  
 Nam fateor peccasse tibi, semperque fatebor,  
 Et mea sub memori crimina corde geram.  
 Ecce vigent validis instructi viribus hostes,  
 Qui pariter nostram constituere necem.  
 Hostibus antiquis sese iunxere recentes,  
 Meque grauant odijs, culpa nec vlla subest.  
 Qui pro percepto reddunt malefacta fauore,  
 Me quoque, quod secler non nisi recta, premunt.  
 Mi Deus, in tantis rogo me ne linque periclis,  
 Neue laborantem deseruisse velis.  
 Da, precor, vt casus valeam superare prementeis,  
 Qui solus nostræ iura salutis habes.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVIII.

*Impia cum multi facerent conuitia Regi,  
 Pertulit, iratis abstinuitq; sonis,  
 Donec ab immodica superatus mole dolorum,  
 A Domino querulis vocibus ambit opem.  
 Huius ab exemplo linguarum spicula passi,  
 Discamus pariles reddere nolle vices.*

DIXI CVSTODIAM.

**M**ens erat, in nullas laxari velle loquelas,  
 Ne daret illicitos lingua soluta sonos.  
 Oraque curaram stricto frenare lupato,  
 Opprobriis peterer multus ab hoste licet.  
 Consilui, victusque malo sine voce refedi,  
 Quin tacui & causæ commoda verba meæ.  
 Post dolor increuit grauitèr meus, atque calore  
 Pectoris arserunt interiora nouo.

Cum.

Cumque meam repetens sortem meditarer iniquam,  
Incensus tacito totus ab igne fui.  
Taliter emotus, sic longa silentia rupi:  
Quæ, Deus, ô, vitæ summa futura meæ est?  
Da mihi restantium numerum nouisse dierum:  
Quam mea sit metæ vita propinqua doce.  
Ecce mea angusto clausisti tempora gyro,  
Et collata æuo sunt ea nulla tuo.  
Scilicet omnis homo viuens nihil est, nisi inane  
Nomen, & haud aliter quam leuis vmbra fugit.  
Hic tamen incassum curis turbatur, & aurum  
Congregat hæredis nescius ipse sui.  
Ergo quid exoptem, nisi te Deus? vnica certè  
Spes mihi es, vnde sibi mens mea spondet opem.  
Me miserum tristi clemens exolve reatu,  
Ludibrium stolidis me facis esse viris.  
Obticiui, & nullas ad voces ora resolui,  
Quod tua iusta mei caussa sit ira mali.  
Pondera tolle precor plagarum sæua tuarum,  
Robora nostra iacent robore victa tuo.  
Nam tu quem propter vesanos corripis ausus,  
Sic fugit hunc animæ, destituitque vigor,  
Ut tinea in morem, aut sicca tenuetur Arachnes.  
Hei mihi quã fragilis, quã nihil omnis homo est!  
Nunc mea summe Parens exaudi vora, precesque  
Excipe, te lachrymæ permoueantque meæ.  
Aduena sum siquidem, miserum tenet hospita tellus;  
Haud aliter, quam qui nos genuere patres.  
Quæso remitte manum, da respirare, priusquam  
Ad Stygias abeo non rediturus aquas.

A R G V

## ARGVMENTVM PSALMI XXXIX.

Parte priore refert grates diuina propago,  
 In lucem à Stygio reddita viua lacu.  
 Iussa dein legis canit antiquanda vetuste,  
 Mandatiq; locum scita habitura noui.  
 Pòst iterat querulas populi sub nomine voces,  
 Nam nil quod pro se tale queratur, habet.

EXPECTANS EXPECTAUI DOM.

**Q**Uum mea sollicito trepidarent corda pauore,  
 Terrificis que forent omnia plena minis,  
 Expectans Dominum cælo conuersa tenebam  
 Lumina, si quicquam fors mihi ferret opis.  
 Protinus accliuem mihi se curuauit, & aureis  
 Exaudituras ad mea vota tulit.  
 Mox ærumnarum tristi me eduxit abyfso,  
 Et de cænosa surgere fæce dedit.  
 Inde meas solida plantas in rupe locauit,  
 Et dubios rexit per loca firma gradus.  
 Tunc mihi læta nouos in cantus ora resoluit,  
 Tanta quibus bonitas testificanda Dei est.  
 Plurima pars hominum cernens hæc dona, timebit,  
 Cauſſa que erunt Domino fidat vt illa suo.  
 O felix Domino qui ſpem defixit in illo,  
 Nec pretium vanis rebus inefſe putat.  
 Quàm tu multa facis Deus admiranda, profecto  
 Conſiliis nemo par queat eſſe tuis.  
 Illa ego ſubducta volui comprehendere ſumma,  
 Non potui, numero copia maior erat.  
 Hoſtia nulla tibi poſthac, neque dona placebunt,  
 (Molliter hoc preſſa ſuggeris aure mihi)  
 Victima nulla iterum flammis abſumta litabit,  
 Nec quæ pro populi crimine cæſa cadit.

Hoc

Hoc vbi cognoui, clara sum voce profatus,  
 Ecce fero promtos ad tua iussa pedes.  
 Namque etiam vatū de nobis scripta loquuntur,  
 Atque sequuturum me tua iussa canunt.  
 Hoc mihi propositum Deus est, ea sola voluntas,  
 Visceribusque sedet lex tua fixa meis.  
 Voce mea in multo iustus celebrabere cœtu,  
 Nec mea labra premam, conscius ipse mihi es.  
 Non tua dissimulem iustissima facta, fidemque,  
 Quamque feres per me est notificanda salus.  
 Nulla tuæ fidei, aut pietatis dona tacebo,  
 Illa sed in populo præco frequente loquar.  
 Ah ne quæso meo bonitatem claude dolori,  
 Sed pietate iuues me precor atque fide.  
 Nam mala me circum nulli numeranda dedere,  
 Sumque miser vitiis captus ab ipse meis.  
 Aspectu quorum torpent hæc lumina tristi,  
 Et tenebras animo copia tanta facit.  
 Verticis illa mei numerum vicere pilorum,  
 Hinc mihi mens etiam cassa vigore iacet.  
 Sit tua tam miseram sortem releuare voluntas,  
 Et, Deus, ad nostram respice dexter opem.  
 Effice vt ora gerant pudibundo fœda colore,  
 Qui quærunt animæ fata suprema meæ.  
 Turbaque diffugiat trepidè, cedatque retrorsum,  
 Exitium rebus ferre parata meis.  
 Quique malis læti nostris euge euge frequentant,  
 His celer ô facias surgat in ora pudor.  
 At studiosa tui festiuo pectora motu  
 Exultent, lætæ signaque mentis agant.  
 Atque iterent, iugi Dominus celebretur honore,  
 Munere seruatos quos iuuat esse tuo.

F

Ipse

Ipse quidem pauper sum & conditionis egenæ,  
 Te tenet vsque mei sedula cura tamen.  
 Eia age nostrarum cùm sis fiducia rerum,  
 Festines demta prosper adesse mora.

ARGUMENTVM PSALMI XL.

*Pauperie misera pressus, & sorte maligna,  
 Auxilium facili mite tulisse manu,  
 Egregium virtutis opus, gratumq; Tonanti est:  
 Qui faciet, felix, atque beatus erit.  
 Hac docet, & queritur, morbo cùm penè periret,  
 Damna sua iniustis grata fuisse viris.*

BEATVS VIR QVI INTELLIGIT.

**F**elix, qui facileis animos aduertit egenis,  
 Quaque potest fulcit, pauperiemque leuat.  
 Virgeat atra dies, aut hora fatiget iniqua,  
 A Superis medicam sentiet ille manum.  
 Hunc Deus auxilio tutum seruabit, & eius  
 Diuina fugiens vita resistet ope.  
 In terra faciet censu florere beato,  
 Nec sinet infesto vincla sub hoste pati.  
 Egrotanti aderit præsto, minuetque labores,  
 Tristibus inque malis dulce leuamen erit.  
 Dū premet hūc morbus, volues Deus omne cubile,  
 Et perages fida sedulitatis opus.  
 Hinc dixi, miserere Deus, nostramque salutem  
 Instaure, siquidem me mea culpa premit.  
 Turba inimica meos quando dolor occupat artus,  
 Tales infesto fundit ab ore sonos:  
 Quando erit vt tandem vacuas dilapsus in auras,  
 Nomine deleto desinat esse super?  
 Atque aliquis simulans speciem visentis amici

Verba

Verba dat, immixtis officiosa dolis:

Scilicet antiquæ iungens noua crimina culpæ,  
Et referens animo dissona verba suo.

At simul impleuit simulati munus amici,

Egressus nostram deseruitque domum.

In nos more suo sermones miscet iuaneis,

Et struit ore, velut struxerat antè, dolos.

Tunc concursantes, qui nos odere, simulque

Iungentes animos, qui mea damna volunt,

In me laxarunt inuisis ora susurris,

Et quacunque queunt parte nocere nocent:

Nâque ita constituunt, ausus quòd propter iniquos

Hæc, quibus vrgetur nunc mea vita, feram.

Propterea insultant: queat hic sperare salutem?

An putat è morbo surgere posse suo?

Quinetiam placidæ cum quo mihi fœdera iuncta

Pacis erant, & spes quo mea nixa fuit,

Et quem mensa olim lætum mea pavit alumnum,

Hic velut impacta me quoque calce ferit.

Quare agè, nostrorum Deus ô miserescere laborum,

Vexatumque malis me tua cura leuet.

Da pius afflictò rediuuium quæso vigorem

Corpori, vt his reddam quas meruere vices.

Fallor? an incipiunt vires in membra reuerti,

Et sua nunc solitus roborat ossa vigor?

Hæc mihi certa tuæ pietatis signa manebunt,

Et fauor hoc in nos iam mihi certus erit,

Quòd procul à nobis per te languore fugato,

Non iam quo de me gaudeat hostis habet.

Nam quia sum semper tibi simplex visus, & insons,

Est suscepta tibi causa tuenda mea.

Nec tua de nobis vnquam pia lumina tolles,



Subiectusque tuis vultibus vsque tegar.  
 Ergo Deum Isacidos gentis celebremus honore  
 Laudum, perpetuus personet hymnus. Amen.

ARGVMENTVM PSALMI XLI.

Cum fugeret pulsus Solyma, & fumantibus aris,  
 Ad sacra nec tutum templa pateret iter:  
 Iure dolet, misera reclususq; cupidine feruet,  
 Sedq; pati super hac non toleranda canit.  
 Sed celebrare iterum cultus de more negatos,  
 Ducere & assuetas sperat in vrbe moras.

QVEMADMODVM DESIDERAT CER.

Sicut adurenti cum flagrat ceruus ab æstu,  
 Fontanas auida fauce requirit aquas:  
 Sic anima hæc refici sitiens, & anhela laborat,  
 Teque leuaturum gestit adire Deum.  
 Illa, inquam, cecis correpta caloribus, optat  
 Te viuo cupidam fonte leuare sitim.  
 Quando erit, vt præsens præsentia numina cernã?  
 Quando erit aspectus sistar vt ante tuos?  
 Nocte, dieque mihi lachrymæ pro pane fuere,  
 Semina tristitiæ qui daret hostis erat.  
 Talibus insultans, vbi nam tuus ille moratur,  
 Quem colis infana relligione, Deus?  
 Quare animi virtus nostri prostrata iaceret  
 Omnis, ab imposito pondere victa graui:  
 Hanc nisi fulciret sortis spes certa futuræ,  
 Quæ mihi, ne prorsus concidat illa, facit.  
 Spes mihi fixa sedet, sancta cum gente futurum,  
 Ad tua vt hinc nobis limina detur iter:  
 Sancta vbi festiuo funduntur gaudia plausu,  
 Ceu canit ad sacras dum pia turba dapes.

Cur

Cur te anima excrucias, luctus cur fundis amarus?  
 Cur mihi turbata pace molesta nocet?  
 Quin potius confide Deo, absterseque dolore,  
 Qui te sollicitat, spem tibi læta cape.  
 Illum tempus erit celebri cùm laude fatebor,  
 Qui faciet nostro cedit ab ore rubor.  
 Quamlibet internos studeam sedare tumultus,  
 Nostra tamen penitus corda pauore tremunt.  
 Nec foret vlla potens nostri medicina laboris,  
 Nec possem tanti ferre doloris onus:  
 Ni monumenta tuæ pietatis prisca subirent,  
 Quorum Iordanis conscia ripa fuit:  
 Quæque sub Hermonio funduntur plana iugoso,  
 Quæque sub exiguo Mitzare terra patet.  
 Quippe sequens vrget semper labor ipse laborem,  
 Et mala certatim nos cumulata petunt.  
 Atra velut cælo nubes glomerata tonante  
 Scinditur, & pluias impete scissa vomit.  
 Ad summam, nimbi que omnes, cunctæque procellæ  
 Vltrices in nos procubuere tuæ.  
 Sed, Deus, hac pulsa facies caligine tandem  
 Surgere, qua foueas nos bonitate, diem.  
 Interea donec tristis nox ista manebit,  
 Non erit ad laudes vox mea lenta tuas.  
 Illum ego continuis precibus reuerenter adibo,  
 Per quem vitalis ducitur aurâ mihi.  
 Conquerar, auxiliij mihi tu certissima rupes,  
 Tu miserum blando suscipis vsque sinu,  
 Cur tibi iam nostri subeunt obliuia? quare  
 Me finis, vt tristem vis inimica premat?  
 Non magis offendar, si per ludibria nostras  
 In costas ferrum barbarus hostis agat:

Quàm mihi per cunctas doleat, cùm dicitur, horas,  
 Iste Deus, cultu quem veneraris, vbi est?  
 Cur te anima excrucias, luctuque absumis acerbo?  
 Cur mea conturbans anxia corda facis?  
 Instituas potius mœsto pugnare dolori,  
 Inque adeò mihi spem tibi pone Deo.  
 Tempus vt absterfis veniet lætere querelis,  
 Acceptaque illum laude quiete veham.  
 Qui facit vt nostro turpis rubor absit ab ore,  
 Quemque meum meritò gloriòsior esse Deum.

ARGVMENTVM PSALMI XLII.

*Hæc quoque materies eadem similisue priori est,  
 Exilium Vates prosequiturq; suum.  
 Si quis ab historia tamen hæc trahat, exulis illa  
 Vota anima calum iam sitientis erunt.*

IUDICA ME DEVS.

**I**udicio me quæso tuo Deus optime serua,  
 Et causæ vindex sedulus esto meæ.  
 Eripiat tua me pietas de gente profana:  
 Turba sit iniusta, & fallere docta procul:  
 Nam mihi tu Deus es, vires, animũque ministras.  
 Cur precor est votis facta repulsa meis?  
 Cur mea continuò tabescunt pectora luctu,  
 Hoste mihi misero vim faciente grauem?  
 Auxilij lucem ô nostris affunde periclis,  
 Et tua fac nunquam verba carere fide.  
 Dirigar ipsorum ductu, montemque subibo  
 Sancte tuum, atque feram sub tua templa gradũ.  
 Ingressusque Dei votiuas sistar ad aras,  
 Qui tribuet vitæ tempora læta meæ.  
 Tunc tua facta tibi grata pietate fatebor,

Mi

Mi Dèus, arguta dulce sonante chely.  
 Cur anima infano torqueris mœsta dolore?  
 Cur non tranquillum cor finis esse mihi?  
 Quin spera: nam vota iterum, cantusque sacro  
 Rite Deo, veniet quo mihi dante salus.

## ARGUMENTVM PSALMI XLIII.

*Hic benefacta Dei patribus collata recenset,  
 Presentisq; dolet conditione status.  
 Nam quæritur Domini solitos frigere fauores,  
 Quodq; memor gentis non sit, vt antè, sue.*

DEVS AVRIBVS NOSTRIS AVDIVIMVS.

**M**agne Deus nostras fama peruenit ad aures,  
 Et memini annosos voce referre patres,  
 Quid tua sit bonitas priscis operata diebus,  
 Hæc loca de Phario quum petiere iugo.  
 Scilicet ista manus gentes irata profanas  
 Perdidit, eque suis compulit ire locis.  
 Inque harum vacuis sedes nos figere terris  
 Iussit, & immotos semper habere lares.  
 Non istas etenim gladio peperere nouales,  
 Nec debent manibus tanta trophæa suis.  
 Sed tua dextra potens, & amici lumina vultus  
 Istius egregij causa fuere boni.  
 Gratuito immeritos sic es complexus amore,  
 Sola tibi vt ratio complacuisse foret.  
 Nunc quoque Rex nobis idem es, Deus ille Iacobū  
 Qui saluum sola voce iubente facis.  
 Te vires tribuente feros ceu cornibus hostes  
 Fundemus, paleas quomodo taurus agit:  
 Armatique tuo spernemus nomine, si quis  
 Nos contra infesto surgere Marte parat.

Non etenim nostro quicquam speramus in arcu,  
 Nos neque seruari credimus ensis ope.  
 Tu tu nos sæuo subduxi solus ab hoste,  
 Solus & o fores ora rubere facis.  
 Iugiter ergo tibi laudum soluemus honorem,  
 Semper erit nomen dicere cura tuum.  
 Sed tua nunc miseros procul hæu nos reppulit ira,  
 Damnaque cum turpi ferre pudore facit.  
 Nam duce te solito nostræ caruere phalanges,  
 Nec dare consuetam velle videris opem.  
 Tu facis hostili vertamus terga furori,  
 Utque tui simus barbara præda sinis.  
 Corpora nostra ouium ritu lanianda dedisti,  
 Pellimur, & toto spargimur orbe vagi.  
 Quid quod te proprium gratis potuisse popellum  
 Vendere, nil quicquam ditior vnde fores.  
 Nos fera probrosis agitat vicinia linguis,  
 Sannaque nunc circumquaque pudenda sumus.  
 De nobis passim iactant prouerbia gentes,  
 Damnaque derident nostra mouendo caput.  
 Ante oculos nobis infamia iugis oberrat,  
 Et regimur tristes vsque pudore genas,  
 Dum nos diuexat petulanti voce proteruus  
 Hostis, inauditis persequiturque modis.  
 Sed Deus his tantis cum simus cladibus icti,  
 Intimus es nostris mentibus vsque tamen:  
 Pactaque delicto tua non violauimus vlllo,  
 Nec nos arguerint criminis illa reos.  
 Non animus noster recto de calle recessit,  
 Et tibi non placitas fugimus ire vias.  
 Nos tamen iratus tristissima fata subire  
 Cogis, & ærumnis in loca sæta trahi.

Nunc

Nunc vbi constrictos ergastula dura fatigant,  
 Quæ credi gelidæ mortis imago queant.  
 Quòd si cura tui nobis elapsa fuisset,  
 Nostraque ad externos dextera tensa Deos,  
 Quæsitores posses istas exposcere pœnas,  
 Abdita qui penitus cognita cordis habes.  
 Sed quia diis aliis colimus tua numina spretis,  
 Cogimur assiduæ subdere colla neci.  
 Dedimur exitio pavidarum more bidentum,  
 Quas lanij in mortem raptat, agitque manus.  
 Surge age, nam quid te iuuat obdormire? repulsa  
 Accipiat finem quæsumus ista suum.  
 Cur precor à nobis vultus auertis? egestas  
 Nostrane te, aut species sortis acerba mouet?  
 Ecce iacet terris anima hæc oppressa malorum  
 Pondere, languescens venter adhæret humo.  
 Surge igitur Deus, affer opẽ, nosq; exime probris,  
 Nomen vt inde nouo crescat honore tuum.

ARGUMENTVM PSALMI XLIIII.

*Hic thalamos, tedaq; legis, nodosq; iugaleis,  
 Sancta quibus Christo iuncta est Ecclesia Regi.  
 Mystica sint quamuis hæc, de Salomone feruntur  
 Scripta tamen, Christi q; illum tenuisse figuram.*

ERVCTAVIT COR MEVM VERBVM.

**I**amdudum eructat pectus mihi nobile carmen,  
 Et præstans Regi promere certat opus.  
 Mobilis officium calami mea lingua subibit,  
 Velocis scribæ quem cita dextra regit.  
 Longe hominum natos tu formosissimus inter,  
 Diffusa est labris gratia multa tuis.  
 Scilicet æterno Dominus te amplexus amore

F S

Eximiis

Eximjis clarum dotibus esse dedit.  
 Fortis es, inuicto Princeps accingere ferro,  
 Incumbant femori militiae arma tuo.  
 Tum specie tali fretus, taliq̄e decore  
 Successus caueas deseruisse tuos.  
 Virge hostes & eis ausis felicibus insta,  
 Debita victrici scepra capeffe manu.  
 Te mansuetudo, & veracis gratia linguæ  
 Conspicuum reddunt, iusticiæq̄ue fides.  
 Hinc tua ad eximios te ducet dextra triumphos,  
 Idq̄e per insolitos, mirificosq̄ue modos.  
 Pectora configes telis hostilia acutis,  
 Et coges populos subdere colla tibi.  
 A patre concessum solium sine fine tenebis,  
 Meta nec imperium terminet vlla tuum.  
 Scepra geres manibus, quorum moderamine certo  
 Res hominum cunctas iura per æqua reges.  
 Iusticiam nam iustus amas, & iusta colentes,  
 Contra iniusticia est res odiosa tibi.  
 Hinc Deus ille tuus te cunctos ante perunxit  
 Confortes oleo latificante tuos.  
 Quid tua quod pingue mirrham, stactesq̄; liquoré,  
 Et cassiam fragrans vestis odore refert.  
 Quam simul è loculis vtendam promissis eburnis,  
 Delicias fundit naribus illa tuis.  
 Accedit regum soboles generosa puellæ  
 Iuncta tibi, & decoris pars speciosa tui.  
 Ipsa quid hic referam dextrum vt tibi Regia coniux  
 Vestibus auratis claudat amica latus?  
 Interea ô sponsi dictis, moneo, adice mentem  
 Nata tui, & vigili fac ea corde notes.  
 Semper ad ipsius voces tua pendeat auris,

Et quæcunque tibi dixerit illa tenē.  
 Neglige cōsuetum populū, charosque propinquos,  
 Et patriæ quondam dulcia membra domus.  
 Sicerit vt placeat tanto tua forma Monarchæ,  
 Ardeat & vultus captus amore tui.  
 Et facies, siquidem tuus est Dominusque Deusque,  
 Quem latè cernes supplice ab Orbe coli.  
 Tunc tibi certatim Tyriæ Sarrana puellæ  
 Munera deuota sedulitate ferent.  
 Pars quoque diues opum populi, proceresque piare  
 Contendent vultum voce precante tuum.  
 At sis culta licet gemmis, varioque nitore,  
 Aureus & toto tegmine limbus eat,  
 Præcipuum sumis tamen à virtute decorem,  
 Ornatuque places interiore magis.  
 Virginibus veniet Regi comitata propinquis,  
 Sponsa, trahet genti proxima quæque suæ.  
 Has populus festo lætas clamore sequetur,  
 Dum subeant hilari regia templa gradu.  
 Quoque minus patriamque tuā, patresque requiras,  
 Nascetur soboles plurima virgo tibi.  
 Pro patribus tibi erunt nati qui legibus Orbem  
 Te rerum domina constituyente regant.  
 Quare cuncta tuum memorabo in secula nomen.  
 Te populi & gentes tempus in omne canent.

A R G V.



## ARGVMENTVM PSALMI XLV.

*Post varios Christi victrix Ecclesia casus*

*Grates tutori, quo stetit illa, refert.*

*Quid possint homines sublimi carmine monstrat,*

*Quos tegit aeterni sedula cura Patris.*

DEVS NOSTER REFVGIVM ET VIRT.

**R**ebus ab aduersis si quando inuadimur, aut si  
Nos iusta miseros plus ratione grauant,

Perfugium nobis Deus es, tu roboras nobis,

Tu dator egregiae semper amicus opis.

Haud igitur metuum, si rupto cardine tellus

Dissiliat, montes si in maris ima ruant:

Aut fremat, & tumidis insurgat fluctibus æquor,

Aut scopuli impulsæ vi moueantur aquæ.

Nam placido irrigui lætatur ab agmine riui

Urbs ea, quam propriam legit habere Deus.

Hanc Pater æthereus tanquam sua castra sacrauit,

In medioque sedens intrepidam esse facit.

Ipsaque præuertens rosæ primordia lucis,

Præsidio vacuam non sinet esse suo.

Miscuerant gentes, & turbida regna tumultus,

Insonuit Dominus, terraque mota basi est.

Scilicet armipotens nostris à partibus hæret,

Vsque Deo tegimur magne Iacobe tuo.

Huc agite, & cuncti facta admiranda videte,

Maxima quæ toto prodigia Orbe dedit.

Mutauit placida Mauortia bella quiete,

Orbis in extremas abstulit illa plagas.

Arcus comminuet, franget currusque, rotasque,

Imponet rapidis scuta cremanda rogis.

Hæc nos, hæc Dominus, vanis abistite curis,

Discite me inuicti numinis esse Deum,

*Efficiam*

Efficiam nostræ sit quanta potentia dextræ  
 Ut norint gentes, terræque tota notet.

Scilicet armipotens nostris à partibus hæret,  
 Usque Deo tegimur magne Iacobe tuo.

ARGUMENTVM PSALMI XLVI.

*Tempore quo Salomon Domino pia templa sacrabat,*

*Creditur Abramidum tale fuisse melos:*

*Sin hac ad Christum potius referenda fatendum est,*

*Ipsius in calum pompa meantis erit.*

OMNES GENTES PLAUDITE.

**P**laudite mortales Titan quoscunque recurrens  
 Aspicit, & summo iubila inite Deo.

Qualia redduntur pleno exultantis ab ore,  
 Quum mens læticiam non capit ipsa suam.

Celsus enim Dominus, meritoque tremédus, & idē  
 Maximus, arbitrium totius Orbis habet.

Compulit hic populos nobis parere feroces,  
 Et gentes nostro subdere terga pedi.

Hæredes nos ille suo transcripsit Olympo,  
 Qui sumus Ifacidæ gloria amata domus.

Cælicolum ascendit læta admodulante caterua,  
 Et reduci Domino consonuere tubæ.

Pfalle Deo nostro, da nostro carmina Regi,  
 Pfalle Redemptori turba redempta tuo.

En Deus imperium terras Regnator in omnes  
 Iure tenet, doctis plectra mouete modis.

Dulce iugum Domini gentes subiere paratæ,  
 Arduus in sancto qui sedet vsque throno,

Huic quoque terribiles se submisere Tyranni,  
 Nominaque Abrameo sponte dedere Deo.

Nam quos terrarum dederat Deus esse potentes,  
 Tollebant magnis fastibus ante caput.

ARC V-

## ARGVMENTVM PSALMI XLVII.

*Hostis atrox sacras armis obsederat arces,*

*Has Deus illustri sed releuarat ope.*

*Cuius agit grates: victrix Ecclesia Christe*

*Sic sibi gratatur munere leta tuo.*

## MAGNVS DOMINVS ET LAVDABILIS.

**M**agna Dei nostri maiestas, gloria magna est,  
Digna que præcellis laudibus vsque canis.

Illa præsertim, sibi quam delegit in vrbe,

Quaque Sion sancto surgit ad astra iugo.

Mons lætus positu ad Boream conuersus, & Orbis

Deliciæ, magni Regia facta Ducis.

Istius in tectis Dominus sublimibus vrbis

Auxilio pridem cognitus ipse suo est.

Hanc etenim contra sæui coiêre Tyranni,

Inque vicem dextris compepigere datis:

Ast vbi viderunt cęlesti vindice tutam,

Mirantes subito contremuere metu,

Ac pauidi retulere pedes, sensere dolores

Quam sæuos vterus parturientis habet.

Diffugiunt ceu quum pelago incumbentibus Euris

Disiicit abreptas sæua procella rates.

Fama erat, auxilio diuini hanc numinis vrbem

Grandibus ereptam sæpe fuisse malis,

Auribus edocti tantum nunc vidimus ipsi,

Facta que iam famæ est in Domini vrbe fides:

Vrbe Dei nostri, nulla quam sorte caducam

Fundauit solida tempus in omne basi.

Expectata tuæ pietatis munera templo

Iam Deus in medio cepimus ampla tuo.

Vtque per immensæ fertur spacia vltima terræ

Nomen, & in toto percelebre Orbe tuum est.

Sic

Sic quoq; lingua omnis meritū tibi laudis honorem  
Concinet, & vocis conferet omne decus.

Iusticia tua sancta manus conferta tenaci est:

Esse nec iniustum quod facit illa potest.

Te Domine ergo Sion lætetur Iudice tali,

Atque agitent natæ gaudia Iuda tuæ.

En ambite Sion, quot turribus illa minetur

Cernite, quàm muris firma sit illa suis.

Et vigili ipsius vires expendite mente,

Quotque habeat claras dinumerate domos.

Vt liceat seris narrare nepotibus olim,

Quàm fuerit nostri forma beata loci.

Nam Deus hic præsto est noster, iugique favore

Hanc regit, à sæuo nec sinet hoste capi.

ARGUMENTVM PSALMI XLVIII.

*Qui vel opes, vel diuitias, hominūque fauores,*

*Et fallax quicquid nobile mundus habet,*

*Quemquam posse putat facere, aut seruare beatum,*

*Iudicio nimium fallitur ille suo.*

*Quippe vides rebus qua sit fortuna caducis,*

*Quàm malè cultores decipiantq; suos.*

AUDITE HÆC OMNES GENTES.

**H**ic gentes animis omnes atque auribus este,

Ad cunetos mea vox quæ patet orbis, eat.

Audiat hæc diues, pauper discrimine nullo,

Et quotquot terra sunt genitrice sati.

Scilicet insignem sophiam mea lingua loquetur,

Sensa que non stultæ quæ dabo mentis erunt.

Ad perplexa meas aures ænigmata tendam,

Ad citharamque meum voce problema canam.

Tempore cur sæuo metuam? ne fortè supremo

Calce, mea infelix vndique culpa premar.

Quid

Quid iuuat ô proprio confisum robore niti?  
 Quid stultis animos copia tollit opum?  
 Non tunc fraternis poterit succurrere rebus  
 Frater, & expectes hoc alienus agat?  
 Cùm semet rigido nequeat subducere fato,  
 Nec sit quo placet iudicis ora reus.  
 Non hunc iratum pretio placauerit vlllo,  
 Aut animæ valeat damna leuare suæ.  
 Quin magis æternos cogetur ferre labores,  
 Et frustra mortem sæpe vocare suam.  
 Nec mala prospiciet lethi ventura perennis,  
 Quod sapiens fato subdat & ipse caput.  
 Insipiens igitur prorsus stultusque peribunt,  
 Interitu pœnas perpetuante suas.  
 Tunc sibi quæ studio vigili congesta pararant,  
 Ignota linquent diripienda manu.  
 Interea vitæ iucundo lumine cassi  
 Æternas capient tetra sepulchra domos.  
 Et quæ magnifico struxerunt tecta paratu,  
 Ordine venturæ posteritatis erunt.  
 Vt quoque perpetuo memorentur tempore, de se  
 Imponunt terris nomina facta suis.  
 Ipse suum sed homo neglexit stultus honorem,  
 Hinc factus vitæ est conditione pecus.  
 Dementatque aded stultum sua bruta voluptas,  
 Vt plaudat vitiis perditus ipse suis.  
 Tale genus Stygias, vt oues, cogentur ad vmbas,  
 Certa que perpetuæ pabula mortis erunt.  
 Hos super imperium iustis firmabitur olim,  
 Cùm fuerit summi temporis orta dies.  
 Tum quibus innixi steterant splendorq; , decusque  
 Lapsa cadent, ipsos Tartarus igne coquet.

Porro

Porrò meam infernis animam seruabit ab antris,  
 Me simul ex isto sumserit orbe Deus.  
 Sed caue cuiusquam ne te percellat opum vis,  
 Gloria neu cultæ multiplicata domus.  
 Quippe nihil rerum moriens sibi tollet earum,  
 Gloria defuncto non erit vlla comes.  
 Laude quidem hūc tollent omnes dū vita manebit,  
 Proque sibi impenso reddet amore vices.  
 Sed tamen infelix moriens inferna subibit,  
 Accedens patribus, qui periere, suis.  
 Nox vbi perpetuis damnatos alligat vmbriis,  
 Lumina quò nullo tempore solis eunt.  
 Quo præstabat homo, neglexit stultus honorem,  
 Hinc factus vitæ est conditione pecus.

## A R G V M E N T V M P S A L M I X L I X .

*Sacra Dei in melius memorat, cultusq; nouandos,  
 Gens Iudæa quibus detulit ante nimis.  
 Proq; his sub Christo subituros principe ritus  
 A pura placeant qui pietate magis.*

DEVS DEORVM DOMINVS LOQVVTVS.

**C**ælorum, terræque potens Deus ille Deorum  
 Horrifca instituit verba aliquando loqui.  
 Terrigenasque simul cunctos in iura vocare  
 Quotquot agunt inter Solis vtramque domum.  
 Lucida prodibit celsæ de monte Sionis  
 Ipsius species, eximiusque decor.  
 Ille Deus, Deus ille aderit spectabilis Orbi,  
 Nec sua vox ipsum clara latere sinet.  
 Flamma vorax eius vultum præcedet, & ipse  
 Vndique prætalido turbine cinctus erit.  
 Arbitr in causam cælos terramque vocabit,

G

Iura

Iura det vt populo his testibus æqua suo.  
 Atque vnum sanctos in cætum cogite, dicet,  
 Qui mihi sacrificant, & mea pacta colunt.  
 Iusticiam ipsius cæli conuexa loquentur,  
 Scilicet is veri iudicis explet opus.  
 Gens mea, sic Dominus, cupidas demittite in aures  
 Quæ loquat Isacidæ vox mea dicta monent.  
 Quippe Deus vobis ego sum, me teste vel ipso,  
 Vt mea cognosci per monumenta potest.  
 Nulla super numero sacrorum nostra querela est,  
 Hostia quotidie quum mihi multa cadat.  
 Quin ego iam pridem vitulorum cede iuuari,  
 Desij, & hos deinceps non mihi posco dari.  
 Sed neque suscipiam vestris ab ouilibus hircos,  
 Victima Cinyphij non placet vlla gregis.  
 Nam fera quot densis agitant animalia syluis,  
 Sunt mea, quotque errant per iuga lata boues.  
 Præpetibus quicquid pennis secat aëra noui,  
 Possideo pingues quicquid honestat agros.  
 Me noua si capiat comedendi forte cupido,  
 Nemo mihi vestrum conueniendus erit.  
 Nam meus est Orbis terrarum totus, & omne  
 Quodcunque amplexu continet ille suo.  
 Méne putauistis taurorum viscere pasci,  
 Hircorum me mihi sanguinis esse sitim?  
 Non ita, sed laudum meritaram sacra requiro,  
 Votaque vt excelso det sua quisque Deo.  
 Hæc faciens, duris quicumque vrgebere rebus,  
 Posce meam precibus non dubitanter operi.  
 Adferet optatam præsens mea dextra salutem,  
 Et faciam grates vt mihi lætus agas.  
 At tu impure mei contemptor numinis ore

Sacrile-

Sacrilego enarras quid mea sensa tuo?  
Quid, scelus, v'surpas mea testamenta prophanis  
Faucibus, & legis dogmata sancta mea?  
Ipse pios monitus odisti, & legibus æquis  
Obstrepis impatiens, nec mea dicta times.  
Addere te comitem nocturnis furibus audes  
Fur quoque, cum mēchis viuere adulter amas.  
Guttura diducis virosis plena loquelis,  
Et falso duplices consuis ore dolos.  
Crimina componis fratri nocitura propinquo,  
Deque ipso gaudes proditor illa loqui.  
Impie procuras lapsus, & scandala ponis  
Communi tecum de genitrice fato.  
Hæc mala quum faceres, tacui, meque ipse repressis  
Iraque suspensa, & dissimulata mea est.  
Et quia longanimis tolero, me cuncta probare,  
Atque tui similem moribus esse putas.  
Ast erit obiectem tua quum tibi pessima facta,  
Et statuam vultus è regione tui.  
Imbibite hæc animis cuncti, memoresque tenete,  
Lapsa quibus vestri debita cura Dei est.  
Ne rapiat forte incautos, ac destinet Orco,  
Nemoque sit raptos qui reuocare queat.  
Sacrificate piæ sincerum laudis honorem,  
Nulla mihi dabitur gloria grata magis.  
Hoc iter est, quod qui studeat seruare, salutis  
Huic ego diuinæ cernere dona dabo.

G 2

ARGV-



## ARGUMENTVM PSALMI L.

Illicitos thalamos, atque inconcessa secutus  
Gaudia, & effusi sanguinis inde reus,  
Supplicat vt tanta fiat sibi gratia culpa,  
Ostendens vitij qua sit origo sui.

Ac Dominum tandem pro sese multa precatur,  
Diruta per Solymam restituenda notat.

MISERERE MEI DEVS.

**N**Ostra licet varias mereantur crimina pœnas,  
Et mortis faciant me mea facta reum:  
Tu tamen ô miserere mei commissa fatentis,  
Quæso tua ingenti pro pietate Deus.  
Qua bonitate soles nobis peccantibus vti,  
Vtere iam, sceleris nec memor esto mei.  
Quin magis atque magis contractas elue sordes,  
Et mea fac turpi crimine corda vacent.  
Nam fateor peccasse tibi, semperque sub imo,  
Quæ malus admisi, corde notata gero.  
Te solum offendi, peccataque nostra videntes  
Me fateor vultus non timuisse tuos.  
Scilicet vt pateat nobis, te vera locutum,  
Et vincas, cum te quis negat esse pium.  
Quod nocet, id vetus est, genitalem semine ductum,  
Et me concepit non sine labe parens:  
Soluere semper amas veracibus ora loquelis,  
Dictorumque fides non tibi fluxa placet.  
Quin incerta tuæ sophiæ, atque arcana dedisti,  
Sensibus vt fierent certa, & aperta meis.  
Et si non fallunt nostræ præfagia mentis,  
Si rata sub tacito spes mihi corde sedet;  
Tu Domine asperges hyssopo nostra salubri  
Vlcera, nec toto corpore næuus erit:

Longa

Longaque contractam tolles per tempora labem  
 Quique niuem superet tum mihi candor erit.  
 Vox tua sollicitas veniet mihi suavis ad aures,  
 Quæ dicat, culpæ gratia facta tuæ est.  
 Tunc mea lætitia exultabunt ossa recenti,  
 Quæ timor, heu, nimium perculit ossa tui.  
 Eia, auerte meo iratos à crimine vultus,  
 Atque mei dele pectoris omne scelus.  
 Cor mundum, & nulla vitiorum aspergine turpe  
 Interiore mei gignere parte velis.  
 Vis animæ internos penitus diffusa per artus,  
 Te decus accipiat rectificante nouum.  
 Quæso tua à facie nunquam depellar amica,  
 Ne procul optatis vultibus exul agar.  
 Sanctus vbique tuus præsens mihi Spiritus adsit,  
 Qui mea perpetua pectora lege regat.  
 Tu mihi lætitiâ, tu mœstæ gaudia menti  
 Rursus ab inuenta redde salutis ope.  
 Spiritus imperio doctus frenare superbos  
 Affectus, animi roboret ima mei.  
 Si mea vota valent, sectantes praua docebo,  
 Quæ sit iustitiæ semita vera tuæ.  
 Tunc resipiscentes ad te vertentur iniqui,  
 Et præcepta sequi iam tua sponte volent.  
 Huius tolle Deus quæ me contagia lædunt  
 Sanguinis, es siquidem tu mihi certa salus.  
 Hoc ego si obtineo, tacita non voce premetur,  
 Iustitiæ quæ canam carmina læta tuæ.  
 Quod magis vt possim, mihi sic Deus ora resoluë,  
 Aptâ sit ad laudes vt mea lingua tuas.  
 Ignibus vsta sacris supplex holocausta daturus  
 Nunc fueram, tibi sed victima nulla placet.

Victimæ grata Deo est, multo tenuata labore,  
 Mens pia, quæ sceleris se dolet esse ream.  
 Sed neque despicias quòd se post crimina pectus  
 Deicit, & mæsto facta dolore dolet.  
 Eia age, de summo flectas tua lumina cælo,  
 Placatoque tuam numine cerne Sion.  
 Ut Solymæ exurgant te instauratore ruinæ,  
 Quæque iacent miseris mœnia lapsa modis.  
 Tunc sacra iustitia fient tibi, munera grata,  
 Atque holocausta sacris ignibus vsta feres.  
 Tunc super accipies positos altare iuuenços,  
 Tingenturque tui sanguinis imbre foci.

ARGUMENTVM PSALMI LI.

*Hæc super immani Vatem cecinisse Døgo  
 Commentatorum plurima turba putat.  
 Nam dedit insontes letho, gentemq; sacratam  
 Perdidit, euerse causa fuitq; Nobes.  
 Ergo huic iudicium Domini, pœnasq; minatur:  
 Heu modò quàm multus regnat in orbe Døg.*

QVID GLORIARIS IN MALITIA.

**I**mpie cur aded scelerata laude superbis,  
 Qui sola præstans impietate tua es?  
 Ecce iniustitiam totis tua lingua diebus  
 Cogitat, & studium fraude nocere tibi est.  
 Haud secus atque acies, quæ dum rasura putatur,  
 Vulnerat, & iugulum non bene cauta notat.  
 Improbilas tibi grata magis, potiorque benignis  
 Moribus, & iustis plus tibi iniqua placent.  
 Verbaque præcipitem incautis latura ruinam  
 Fraudibus instructo diligis ore loqui.  
 Ergo te Dominus subuertet vindice dextra,

Quo-

Quoque queas nullum surgere tempus erit,  
 Te procul extorrem faciet patria que, focusque,  
 Et penitus stirpem tollet ab orbe tuam.  
 Talia spectantes iusti iræ signa, timebunt,  
 Atque ipsis falsi causa eris apta ioci.  
 Scilicet illudent misero his sermonibus, En qui  
 Auxiliatorem spreuit habere Deum,  
 Spesque suas in opum vi stultus fixit inani,  
 Rebus & à vanis multa valere putat.  
 Ast ego fructificans instar frondentis oliuæ,  
 Inque Dei sancta iugiter æde manens,  
 Spes animi cunctas Domini in pietate locavi,  
 Propositoque manet mens mea firma suo.  
 Tu modulis dicere meis Deus omne per æuum,  
 Nam facies animi sint rata vota mei.  
 Interea nobis restet quodcunque ferendum,  
 Mens mihi stat nomen certa manere tuum.  
 Nil etenim melius, nil quicquam suavius illo,  
 Sanctorum cœtu testificante tuo.

## ARGUMENTVM PSALMI LII.

*Stringit in iniustos irata spicula lingua,  
 Qui vexant nullo sine, premuntq; pios,  
 Illis exitium, & tristes denuntiat iras,  
 His fore post luctus omnia leta canit.*

## DIXIT INSIPIENS IN CORDE SVO.

**I**N tantum vecors hominum dementia creuit,  
 Audeat vt tacita mente negare Deum,  
 Hinc semet studiis sic corrumpere nefandis,  
 Vt non sit rectum qui modò curet opus.  
 Omnipotens hominum lustravit ab æthere natos,  
 Si foret aut sapiens vllus amansue Dei.

Quisque sed ad prauos deflexit inutilis ausus,  
 Sic adeò vt nullum sit reperire bonum.  
 Anne scient aliquando mali scelus esse popellum  
 Grande, filiginei more vorare cibi?  
 Solicitare Deum nullo suuere rogatu,  
 Pectora tam nulla relligione gerunt.  
 Sapius hinc videas ipsos trepidare timore,  
 Nulla licet iusti caussa timoris agat.  
 Scilicet his Dominus membrorum dissipat ossa,  
 Quos leuis acceptos gratia plebis habet.  
 Tum facit ipsorum turpis pudor ora coloret,  
 Gens quia sidereo spernitur illa Deo.  
 Quis precor, Isaaci cretis de stirpe salutem  
 Qui ferat è sancto monte Sionis, erit?  
 Si Deus exilium patria mutauerit illis,  
 Gaudia erunt generi plena Iacobe tuo.

ARGVMENTVM PSALMI LIII.

*Creditur à multis isto sermone precatus,*

*Impia dum nati pertulit arma sui.*

*Siue hic, siue alius verbis ostenditur hostis,*

*Defensus querula supplicat esse prece.*

DEVS IN NOMINE TVO SALVVM.

**P**ER tua summe Deus, me tandem nomina serua,  
 Et caussæ assertor, nam potes, esto meæ.  
 Quasque preces effundo, tuas admitte sub aures,  
 Percipias linguæ tristia verba meæ.  
 Me contra infestæ consurrexere cateruæ,  
 Mens quibus edictis est aliena tuis.  
 Fortia queisq; viget circum præcordia robur,  
 Contendunt titulum mortis habere meæ.  
 Non timor vllus eos, non relligio vlla moratur,  
 Præque suis oculis non habuere Deum.

Ecce

Ecce sed auxilio Dominus succurrit, & ipsi  
 Non leuis est animæ cura recepta meæ,  
 Mi Deus, ista meis auerte pericula rebus,  
 Inque hosteis redeant fac reuoluta meos.  
 Proque fide, tua qua consistunt dicta, tenaci,  
 Quæso illos dextra perde potente tua.  
 Tum tibi sponte feram sacrorum lætus honores;  
 Tum tua, nam rectum est, nomina laude veham.  
 Auxilio qui me discrimine soluis ab omni,  
 Spernere & hostileis das mihi posse minas.

## ARGVMENTVM PSALMI LIIII.

*Infidis cingi queritur, nec habere receptum  
 Quem petat, & lingua spicula seua pati.  
 Ac dolet imprimis quod quem sperarat amicum  
 Hunc caput exitij sentiat esse sui.  
 Sed tamen inuictos animos ad sidera tollens  
 Se seruatorem sperat habere Deum.*

## EXAUDI DEVS ORATIONEM.

**A**lme Deus nostræ dignate aduertere voci,  
 Nec timidam dura spreueris aure preceni.  
 Sit tua supplicibus pietas intenta querelis,  
 Verbaque sollicito quæ damus ore, cape.  
 Anxia peruigiles exercent pectora cutæ,  
 Quæ cumulant gemitus, tristitiamque mihi.  
 Mens quoque ab hostili fremitu, gentisque scelestæ  
 Pressura immiti turbida facta mea est.  
 Inuidia falsi me in fontem criminis vrgent,  
 Incensique truci sunt mihi bile graues.  
 Turbatur, trepidaque micat formidine pectus,  
 Iamque propinquantis me necis horror habet.  
 Huc timor atque tremor superincubere, meosque  
 Infuscans oculos nox tenebrosa tegit.

G 5

Vnde

Vnde ego sic mecum: Quis det mihi sumere pennas,  
 Quales per vacuum Chaonis ales agit?  
 Hinc me surripiam celeri in loca tuta volatu,  
 Pax vbi læta mihi detur, & alta quies.  
 Ecce solum liqui patrium, timidaque recessi  
 In deserta procul soliuagus que fuga,  
 Te opperireus solitum placidam mihi ferre salutem,  
 Vlla metum quoties orta procella facit.  
 Perde venenatas Domine horû, & diuide linguas,  
 Quippe scelus tota & diffidia vrbe ferunt.  
 Menibus impietas circum noctuque, dieque  
 Excubat, in domibus noxa, laborque vigent.  
 In plateis vsura vorax, artesque dolosæ  
 Exuperant, nullo deficiuntque die.  
 Si maledicta procax in me contorqueat hostis,  
 Illa quidem certo sicut ab hoste, feram.  
 Aut si dira mihi illaturum damna minetur,  
 Iure metu impulsus quærere tuta velim.  
 At tu quem parili iunctum mihi mente putaram,  
 Vt vero doleam nempe dolore facis.  
 Qui mihi, fidus eras ductor, notusque sodalis,  
 Et dulces mecum fuerus adire cibos.  
 Ad templum Domini vnanimis accessimus ambo,  
 Et pietas nobis vna duobus erat.  
 Effice iuste Deus mors tristis vt opprimat illos,  
 Et viui in Stygias precipitentur aquas.  
 Nam fera nequitiis ipsorum tecta redundant,  
 Quin tenet & medium pectoris illa lues.  
 Hinc ego te solito Dominum clamore precabor,  
 Meque tuo placida more leuabis ope.  
 Seu perat hesperium defecta luce cubile,  
 Exurgatue nouus Sol, reuehatque diem,

Siue

Siue polum cursu medium secet, haud tibi tristes  
 Cessabo questus ore referre meos.  
 Nec bonus auerso tam fies numine, vt aures  
 Inducas nobis velle negare tuas.  
 Tu me surripies vicino assertor ab hoste,  
 Et dabis vt placidæ tempora pacis agam.  
 Multorum quamuis opibus numeroque superbus,  
 Immineat capiti proximus ille meo.  
 Audiet orantem facilis me, & deprimet illos,  
 Qui manet æternus, temporibusque prior.  
 Moribus in melius mutari nolle videntur,  
 Et viduata Dei corda timore gerunt.  
 Ergo in eos dextram vindex extendet, & omnes  
 Delicti coget præmia ferre sui.  
 Hos quia diuinas leges, & pacta prophanant,  
 Iusta Dei à sancto diuidet ira grege.  
 Lenius os ipsis butyro, pacemque loquentes  
 Aspera sub tacito prælia corde mouent.  
 Mollior & pingui vis est sermonis oliuo,  
 Tela sed in molli noxia voce latent.  
 Sed Domino has curas, & tristia cuncta relinque,  
 O anime, huic vitæ cura erit vsque tuæ.  
 Nec iusti oblitus patietur fluctibus ipsum  
 Quamlibet aduerso flante Aquilone quati.  
 At verò scelerum Deus ô iustissime vindex,  
 Illos in puteum perditionis ages.  
 Nempe humana quibus cedes, & fallere cordi est,  
 Hos vitæ medios mors feret ante dies.  
 Quod reliquum est, quicquid Domine impia turba  
 minetur,  
 Spes mihi perpetuo tuta futurus eris.

ARGV-



## ARGVMENTVM PSALMI LV.

*Ecce tibi veteres fauo super hoste querelas,  
In quibus auxilium per sua vota petit.  
Sed Domini ipse sibi pietatem spondet amicam,  
Atque ideo in laudes saluitur ore pius.*

## MISERERE MEI DEVS QVONIAM.

**O**Mnipotēs Deus atq; hominū rerūq; repertor,  
Flecte pios vultus ad mea damna tuos.  
Cernis vt infelix crudo conculcer ab hoste,  
Nec vacet ærumnis hora, locusque meis.  
Impia me totis affligit turba diebus,  
Estque potens numero facta, feroxque suo.  
Sed me luce premant trepidi, seu nocte pavores,  
Tu bene sperandi caussa futura mihi es.  
Ac mea lingua tuis celebrandis laudibus vsque  
Seruiet, & semper tu mihi carmen eris.  
Teque adeò fretus, nullo perculsa pauore  
Corda geram, faciat quod mihi cunque caro.  
Verba mea assidue velut execranda refutant,  
Nec studio quàm me perdere præter habent.  
In cœtus coeunt pariter, testi que latebris  
Obseruant oculis quæ loca calce premam.  
Quàm cupidè expectant animæ dispendia nostræ,  
Tam Domine ipsorum est nulla futura salus.  
Nam genus hoc populi flagranti feruidus ira  
Franges, præcipiti conficiesque malo.  
Exposui tibi cuncta meæ discrimina vitæ,  
Nec tua sunt lachrymis ora negata meis.  
Hostes vertentur cursu trepidante retrorsum,  
Nempe ea polliciti pacta fuere tui.  
Quin precibus quacunque die tua numina pulso,

Mox

Mox agnosco meum per sua signa Deum.  
 Ergo meæ diuina edent encomia voces,  
 Non mihi sermo tuæ laudis inanis erit.  
 In Domino sperare iuuat, procul este timores,  
 Haud metuam quid agat, quidue minetur homo.  
 Me tibi commemini meritas promittere laudes,  
 Has vt ritè queam soluere cura mea est.  
 Quippe bonus rigida ne mortis damna subirem  
 Cauisti, lapsu ne ruerem que pedum.  
 Scilicet vt gratus veniam tibi lumine felix  
 Illo, quo fruitur nescia turba mori.

## ARGVMENTVM PSALMI LVI.

*Cum vagus Engaddi Vates deserta subisset,  
 Insequitur profugum mente furente Saul.  
 Vate sed audito cessit, puduitq; secutum:  
 Istius hanc caussam carminis esse voluit.*

MISERERE MEI DEVS, MISERERE.

**Q** Væso mei miserere Deus, miserere mei: nam  
 Tu modò spes animi sola relicta mei es.  
 Spem que mihi alarum semper dabit vmbra tuarū,  
 Dum capiat finem vis inimica suam.  
 Voce ciebo Deum cælorum summa tenentem,  
 Sæpe mihi allata qui benefecit ope.  
 Auxilio è cælo sorti me exemit acerbæ,  
 Fecit & hostileis turpe rubere genas,  
 Misit opem fidei & pietatis signa vetustæ,  
 Conditio est animæ qua releuata meæ.  
 Nam me sæuorum catuli cinxere leonum,  
 Copia quos inter nulla quietis erat.  
 Spicula quippe hominū, & linguæ, gladii q; secantes  
 Marmarici nobis dentis ad instar erant.

Nunc

Nunc Deusexcelsos temet super exere cælos,  
 Et tua laus, totus quâ patet Orbis, eat.  
 Explicuere hostes pedibus sua retia nostris,  
 Nilque mihi propius quàm cecidisse fuit.  
 Ante meos oculos puteum fodere dololum,  
 Sed bene, fossores obruit ille suos.  
 Ergo ego tam grandi per te defuncta timore  
 Consecro seruitio corda parata tuo.  
 Tu mihi perpetuo grata cantabere voce,  
 Argutæque tibi plectra mouebo lyræ.  
 Euigila ad laudes animæ pars optima nostræ,  
 Surge age cum nablo tu quoque nostra chelys.  
 Ipse thoros equidẽ molles somnosque relinquens,  
 Præueniam modulis carminibusque diem.  
 Et tua facta Deus populos vulgabo per omnes,  
 Teque vel in mediis gentibus ore canam.  
 Nam tua sidereis pietas it maxima cælis,  
 Et tua se tollit nubila adusque fides.  
 Fac super æthereum Domine exalteris Olympum,  
 Et tua laus, totus quâ patet orbis, eat.

ARGUMENTVM PSALMI LVII.

*Iustitia proceres grauitè reprehendit iniquos,  
 Per sua qui insontes iura recurua premunt.  
 Talibus vltices Domini denuntiat iras,  
 Quas pius aspiciens gaudia lætus ager.*

SI VERE VTIQUE IUSTITIAM.

**S**oluerè vos iustis mortales ora loquelis  
 Credam, vel recto consona iura dare?  
 Haud ita, nam vobis mens est exercita iniquis  
 Fraudibus, & sceleri nectitis vsque scelus.

Lique-

Liquerunt rectum fontes genitricis ab aluo,  
Et falsam erroris corripuere viam.  
Ipforum diro certet grauis ira colubro,  
Qui iacit impuro virus ab ore nocens.  
Aspis & vt magicis obrurat cantibus aures,  
Sic renuunt monitus excipere aure bonos.  
His Dominus dentes in iniquo conteret ore,  
Ipse leoninas comminuetque molas.  
In nihilum recident ad morem labilis vnda,  
Quæ fluit, haud certum gnata tenere locum.  
Hos Deus aduersum nervos intendet, & arcus,  
Turba suis donec viribus orba cadat.  
Massaque vt admotis tabescit cærea flammis,  
Corpore sic toto deficiente cadent.  
His super incumbet cælo grauis ignis, & alnum  
Eripiet Phæbi nox tenebrosa iubar.  
Ac prius in iustos quàm poscit crescere rhamnos,  
Inditur vt calidis spina nouella focis;  
Sic quoque & ante diem Stygiû rapiuntur ad orcû,  
Peneque viuentes auferet ira Dei.  
His scelerum pœnis gaudebit turba piorum,  
Tinget & hostili sanguine læta manus.  
Ac secum dicent, ergo sua præmia iustos  
Certa manent, fructus iustitiæque sui.  
Et curat terras Dominus, quo iudice caussa  
Nunquam non hominis tuta futura pij est.

A R G V -

## ARGVMENTVM PSALMI LVIII.

*Eripi ab hoste rogat nimium constanter iniquo,  
 Penarum siquidem se meruisse nihil.  
 Tum canit extorres verpos toto Orbe futuros,  
 Iusticia exemplum maxime Christe tua.*

ERIFE ME DE INIMICIS  
 MEIS DEVS.

**C**Vius ego æternum numen reuerenter adoro,  
 Quemq; colam semper pectore & ore Dei,  
 Me precor hostili propeta subducere turbæ,  
 In caput exurgens quæ mouet arma meum.  
 Eripe me prauis, & iniqua gerentibus, ac ne  
 Occupet à populo cædis amante veta.  
 Insidiis captum leto demittere certant,  
 Atque in me quouis robore, & arte ruunt.  
 Non culpæ hoc meruere meæ, sine labe cucurri  
 Vitæ iter, & ratio, cur premar æqua deest.  
 Surge age, & auxilio fêlix occurre, priusquam  
 Obruat, & qua sim conditione vide.  
 O Domine, ô Deus armorum, cui cælica parent  
 Agmina, & Hebrææ gloria, spesque domus,  
 Exurge in curam, & cunctas circumspecte gentes,  
 Nec bonus his fueris, quos iuuat esse malos.  
 Vespere per vicos vrbis, per compita circum  
 More canum cursant, quos agit ægra fames:  
 Nil præter gladios, & vulnera sæua loquentes;  
 Ecquis enim est, aiunt, qui auribus ista noter?  
 At tu conatus horum ridebis inanes,  
 Et generi infesto nil reliqui esse fines.  
 Te penes est robur, quo freti obstitimus hosti,  
 Et si quid dextra possumus, omne tuum est.

Tu

Tu mihi virtutem præstas, animosque timenti,  
 Ac prius auxilio, quam premat hostis, ades.  
 Hos dare ego penas te deposcente videbo,  
 Magnaque lætitiæ causa erit illa meæ.  
 Nec tamen è medio simul vno tempore tolli,  
 Aut ipsos subita strage perire velim.  
 Ne desint nostris documenta nepotibus olim,  
 Iustitiæ quantus sit rigor iste tuæ.  
 Extorres ipsos potius toto Orbe vagari,  
 Et propriis actos sedibus ante sine.  
 Protector noster linguis debentur eorum  
 Hæc mala, sermonis virus in ore gerunt.  
 Eia age vertantur verbosi in retia fastus,  
 Authoresque suos dicta superba ligent.  
 Infonem quoniam voce execrantur iniqua,  
 Plenaque mendaci dant quoque verba dolo.  
 Fabula sint vulgo, finem sentire coacti  
 Luctificum, tollet quando tua ira malos.  
 Tum demum agnoscent Iacobi à stirpe creatos,  
 Atque orbem totum qui regat, esse Deum.  
 Sub noctem esurie pressi stimulante reuertent  
 Lustrantes vrbis compita more canum:  
 Diuersæque vagi vt ventrem saturentur, abibunt,  
 Frustrati que cibo murmura voce serent.  
 Ast ego quam præstes, quam sis in prælia fortis,  
 Quam bonitas ingens sit tibi, manecanam.  
 Factus enim meus es protector, confugiumque  
 Tempore quo vitæ fors erat atra meæ.  
 O meus adiutor psallam tibi, quippe salutem,  
 Cunctaque munifica das pietate mihi.

Horatius Ar. v.

## ARGUMENTVM PSALMI LIX.

*Edomitas gentes memorat, penitusq; subactas  
Isacidis fuerant duriter ante graues.*

*Pertulerat Deus hoc, factus commotus iniquis,  
Qua ratione suis saepe recusat opem.*

*Mystica si spectes, iam Christi regna monemur  
Per mundi cunctas amplificanda plagas.*

DEVS REPVLISTI NOS.

**N**OS Deus exosos tua longè abiecerat ira,  
Fregerat, & toto fecerat Orbe vagos.  
Iusta erat illa quidem, & pēnam meruisse fatemur,  
Lumine respexti nos miserante tamen.  
Horruit ingenti tellus succussa tremore,  
Nurauitque tui debilitata metu.  
Sit tibi cura graues eius fulcire ruinas,  
Mota est, atque suæ dissociata basi.  
Duriter accepti fuimus: nam mixta dedisti  
Haud leuibus nobis vina bibenda malis.  
Sed pia signa tuis iterum cultoribus effers,  
Ut canta vitent hostica tela fuga.  
Ut tibi chara metu releuentur pignora, seruet  
Me tua dextra, preces excipiasque meas.  
Euentura precor, sancta de sede loquutus  
Edidit Omnipotens omina fausta Deus.  
Scilicet exultans Sichimam partibor opimam,  
Iuris erit nostri vallis amēna Sochor.  
Noster erit populus Galaad, populusque Manasse,  
Effraim capitis tu mihi tutor eris.  
Imperium mihi Iuda dabit, solidumque tribunal,  
Lebetisque vices, pelluijque Moab.  
Subdita ferre meos calces cogetur Idume:  
Allophylis mecum fēdera pacis erunt.

Quia

Quis me victorem munitas ducet in vrbes,

Quis me in Idumęos ducet amicus agros?

Tūne Deus, cuius nos sic proiecerat ira,

Amplius vt nolles classica nostra sequi?

Adsis, ô nostris que velis succurrere rebus.

Namque ope ab humana non valet vlla salus.

Nos sola virtute tua superabimus hostes,

Et turba in nihilum per te inimica ruet.

ARGVMENTVM PSALMI LX.

*Infelix patriis longè submotus ab oris,*

*Diuinam blanda voce requirit opem.*

*Tum canit æternum stirpis mansura per æuum*

*Sceptra sua, sed enim stirps ea Christus erat.*

EXAVDI DEVS DEPRECATIONEM.

**E**Xaudire Deus tristes dignare querelas,

Et mea da portus vota subire suos.

Anxius extremis clamo de finibus orbis,

Quòd premat immodicus pectora nostra pavor.

Duc me agè, securæ vt valeam succedere rupi,

Tendere quò nulla vis inimica queat.

Nam mala sæpe meos rexisse per obuia gressus

Te memini, & tutis constituisse locis.

Vnica nempe meæ es fiducia mentis, & instar

Turris, quam nullus vicerit hostis, habes.

Hoc facit vt sperem iugis tua templa tenere,

Alarum que regi tegmine posse tuo.

Fallor? an acceptos videor sentire precatus,

Et voces aliquod pondus habere meas?

Annuis accipiant hæredum iura tuorum

Qui tua sincero nomina corde timent.

Ipsè dies porrò Regi cumulabis, & annos,



Longaque felicem secula vigere dabis.  
 Ante manebit enim diuini numinis ora,  
 Et pietate Dei tutus & vsque fide.  
 Sic tua perpetuo celebrabo nomina cantu,  
 Sic tibi quotidie congrua vota feram.

ARGUMENTVM PSALMI LXI.

*Ni tibi contulerint homines mendacia prater,  
 Et quibus infelix decipiare, dolos.*

*Quare age, mortali statuas confidere nulli,  
 Pronaque saluifico pectora subde Deo.*

NONNE DEO SVBIECTA.

**A**N parere anima hec Domino subiecta recuset?  
 An se non illi subdere prompta velit?  
 Inde mea siquidem pendet spes tota salutis,  
 Se probat ille meum per benefacta Deum.  
 Præsidium ille mihi est, idemque salutifer, vltra  
 Cur titubem nihil est, commouearque metu.  
 Quousque hominẽ sed enim sæuo percellere nixu,  
 Artificesque mea pergitis esse necis?  
 Atque ruinoso similem me credere muro,  
 Maceriaeque, suæ quæ malè nixa basi est?  
 Constituere mali nostros auertere honores,  
 Nominis & pretium, quod fuit antè, mei.  
 Propterea intendi valido vestigia cursu,  
 Currere sollicitum torsit egena sitis.  
 Ore suo simulant concordem mentis amorem,  
 Interea tacito pessima corde tegunt.  
 Mî tamen hinc, anime, affectus ne sume rebelles,  
 Teque libens miti subdere perge Deo.  
 Nam dedit, vt valeam cunctis par esse periclis,  
 Me facit inuictum qualibet esse pati.  
 Ille opifer, Deus ille mihi est, viresque secundas

Suffi-

Sufficit, haud vllis fluctibus inde ferar.  
 In Domino sita nostra salus, sita gloria nostra est,  
 Auxiliumque; manet spes mea nixa Deo.  
 Eia, in eo ô populi totum sperate per orbem,  
 Vestraque in illius fundite corda sinum.  
 Et meritò; cunctos etenim discrimine nullo  
 Sese imploranteis tempus in omne iuuat.  
 Vanus at nihil est mortali semine cretis,  
 Est mendax hominum lingua, leuisque fides:  
 Inque vicem falsa certant dare damna bilance,  
 Alter & alterius commoda fraude rapit.  
 Quisquis es, ô parce iniustis confidere lucris,  
 Nec tua sit raptis crescere cura bonis.  
 Quin mage, diuitiæ si fors, si copia rerum  
 Affluat, inde procul corda reducta tene.  
 Est semel ore Deus supera de sede locutus,  
 Auribus hæc duo sunt dicta notata meis.  
 Vt Domino soli rerum est æterna potestas,  
 Vt tibi adest pietas, qua miserere Deus:  
 Sic mala contribues, mala qui meruere: bonisque  
 Præmia factorum pro ratione dabis.

## ARGUMENTVM PSALMI LXII.

*Hæc cecinit patria compulsus linquere sineis,  
 Et loca præ trepido querere tuta metu.*

*Hic pia templa procul Domini, cætuſq; relictos  
 Suspirat: sed eum spes fouet ampla tamen.*

DEVS DEVS MEVS AD TE  
 DE LVCE VIGILO.

**A**D te summe Deus vigilo Deus vnice nobis  
 Mox vbi lux croceum protulit orta diem.  
 Ægra sitim mens nostra tui concepit anhelam,  
 Quin caro multiplici flagrat & ipsa modo.

H 3

Per

Per loca sola vager, perque inuia, siccaque praesens  
 Sum tibi sacrata sicut in aede tamen.  
 Quaque tuam fas est virtutem pectore cerno,  
 Et tua conspicitur gloria summa mihi.  
 Te, cuius miserans bonitas praestantior omni  
 Vita est, nostra piis laudibus ora vehent.  
 Laude vehere mihi stabit dum vita, nec vnquam  
 Ad tua desistam nomina ferre manus.  
 Colliget hinc anima haec adipem, & pinguedine plena  
 Suggestet ad laudes gaudia vera tuas.  
 Nocte super stratum memorans tua numina voluor  
 Exortae meditor tempore lucis idem.  
 Nam mihi non cessas operam praestare salubrem,  
 Subque alis condar laetus, ouansque tuis.  
 Mens mea constanti semper tibi adhaesit amore,  
 Quod tua me iugi dextera firmet ope.  
 Hostibus ergo meis curae sumuntur inanes,  
 Qui satagunt animam tollere morte meam.  
 Frustratique dabunt meritas te vindice penas,  
 Et loca terrarum perditum ad ima ruent.  
 Tradentur gladiis, & dira cede necati  
 Portio erunt avidis vulpibus, atque cibus.  
 At Rex in Domino felix gaudebit, & eius  
 Iurantes quotquot nomina rite colent.  
 Oraque falsiloquum tunc obturata silebunt,  
 Finis & iniustae garrulitatis erit.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI LXIII.

*Dira venenata queritur sibi vulnera lingue*

*Infligi, insidias & sine fine strui.*

*Sed fore conatus horum prædicit inanes,*

*Damnaq; passuros fraudis acerba sua.*

EXAUDI DEVS ORATIONEM MEAM.

**E**Xcipe non dura nostras Deus aure loquelas,  
Dum iustas timido fundimus ore preces.

Eripe me letho, vitæque pericula deme,

Quæ mihi iamdudum gens inimica creat.

Me certè à cœtu texisti sæpe maligno,

Quique suas temerant per malefacta manus.

Qui linguas tanquam gladios acutere secantes,

Et faciunt voces tristia tela suas.

Queis ex insidiis hominem sine crimine figant,

Ac subitò figant, idque timore procul.

Firmiter inter se rem constituerè nefandam,

Dumque parant laqueos occuluisse suos;

Dixerunt pariter: quis erit tam lumine acuto,

Qui sue sagax aded, vt retia nostra notet?

Quæsita est ipsis ratio vel iniqua nocendi,

Ac tandem studio nil potuere suo.

Hoc aliquis cernens pectus descendet in altum,

Tamque pium lætus tollet ad astra Deum.

Scilicet ad noxam non plus valere sagittæ,

Quàm lædant pueri spicula torta manu.

Damnaque linguarum proprios petiere magistros,

Inque suum vires non habuere scopum.

Hæc quotquot cernent, turbati mente timebunt;

Concipiet pauidos pectore quisque metus.

Præconesque operum Domini tum denique fient;

Diuinæ docti noscere facta manus.

At iustus Domino semper gaudebit amico,  
Atque spei certas corde fouebit opes.

Quin etiam capient ab eo laudemque, decusque,  
Quotquot amans recti pectus habere vider.

ARGUMENTVM PSALMI LXIIII.

*Optant Abramida Solymæa ad sacra reuerti,*

*Et regredi ad patrios de Babylone focos.*

*Cuncta sibi hic spondent felicis commoda vita,*

*Tecta sub his Christi regna beata putes.*

TE DECET HYMNVS.

**S**ola Sionæas laus quæ cantatur ad aras  
Te decet alme Deus, conueniensque tibi est.

Et qui rite tuum quærent per vota fauorem,

Illa tibi in Solymis non renuenda dabunt.

Ad te, qui miseras facili capis aure querelas,

Omnis ab immenso confluet orbe caro.

Consilia in nobis nimis heu potuere malorum,

Sed venia nostrum turpe piabis opus.

Felix quem populo lectum tibi sumis ab omni,

Ille tua stabileis carper in æde moras.

Nos domus illa bonis saturos implebit opimis,

Et cumulo omnigenum larga beabit opum.

Sunt eadem sancto fulgentia templa nitore,

Miraque iustitiæ conditione suæ.

Accipe quæso preces hominum spes vnica, quos fors

Seu dedit in terra, seu procul esse mari.

Qui facis aërios valido consurgere monteis

Robore, succinctus viribus ipse tuis.

Qui miscere potes, cum vis, maris ima tumultu,

Ipfius vt nemo murmura ferre queat.

Prodigiosa quidem gentes tua signa timebunt,

Quas vel in extremo climate mundus habet.

Gaudia

Gaudia post ramen his affundes læta, tuisque  
 Laudibus intenti vesper & ortus erunt.  
 Respicias terras iterum, faciesque benignus,  
 Ebria vt vberibus gleba madescat aquis.  
 Descendetque tuo pluuiarum copia nutu,  
 Fertilis vt multa messe redundet humus.  
 Ipse tuus posthac Iordanis gurgite pleno,  
 Et sua iam superans littora, voluet aquas.  
 Hinc Pater alme tuæ instaurabis pabula genti,  
 Surget ab irriguo nam seges ampla solo.  
 Imbue fœcunda fulcos vligine, fœtus  
 Vt magnis reddant auctibus arua suos.  
 Terra feret lætas segetes stillantis aquæ vi,  
 Atque suas hilari germine promet opes.  
 Ornabis variis anni reuolubilis orbem  
 Dotibus, & campos fertilitate tuos.  
 Quin loca pinguescent nemorum deserta, caputque  
 Attollent colles, lætitiãque ferent.  
 Dulcia lanigeræ præbebunt pascua genti,  
 Et facient multi velleris esse pecus.  
 Farre redundabunt valles, vocesque ciebunt,  
 Causa que gratisonæ plurima laudis erunt.

## ARGUMENTVM PSALMI LXV.

*Gens Hebræa iugi duros perpeffa labores,  
 Redditaq; assuetis de Babylone focis,  
 Iure Deo grates agit at pro munere tanto,  
 Et solui in laudes qualibet ora velit.*

## IUBILATE DEO OMNIS TERRA.

**T**errarum quicunque sinus, & culta tenetis,  
 Iubila viuenti tollite festa Deo.

Quamque sit ipsius venerandum dicite nomen,

H 5

Et

Et quanta dignus laude sit ipse cani.  
 Dicite, quàm Domine est operum metuenda tuorū  
 Gloria, quàm multis digna stupore modis?  
 Ista potens certè virtus de te esse loquutos  
 Arguit olores plurima falsa tuos.  
 Te meritò tellus qua se diffundit adoret,  
 Et tua Psalmidica nomina voce vehat.  
 Huc properate pij, atq; oculos adhibete propinquos,  
 Mens quibus est summi discere facta Patris.  
 O quàm mortali genitos de semine miro  
 Consilio, & quemuis terrificante regit?  
 Fluctibus humentes pelagi nudauit arenas,  
 Et vada dimotis peruia fecit aquis:  
 Fecit &, vt pedibus transiri flumina possent.  
 O laturum nostris quàm fuit illud iter?  
 Scilicet æternas rerum moderatur habenas,  
 Omnia virtuti supposuitque suæ.  
 Aspicit & populos oculis cęlestibus, hunc si  
 Commoris, facto ne tibi plaude tuo.  
 Digna Deo nostro certatim carinina gentes  
 Pangite, vt audiri qualibet aure queat.  
 Qui nos in vitam miserans à morte retraxit,  
 Non passus lapso procubuisse pede.  
 Nam, Deus, argenti vt probitas spectatur in igne,  
 Sic grauibus spectas nos quoque sæpè malis.  
 Constringi laqueis miseros, & vincula ferre  
 Passus es, ærumnis tergaque nostra premi.  
 Hostes se nobis superimposuere subactis,  
 Nostraque presserunt sub pede colla suo.  
 Trans medios ignes, medias transuimus vndas,  
 Denique perpesti pessima quæque sumus.  
 Post modo sed nobis solatia amica dedisti,

In saturos ductis fertilitate locos.  
 Quocirca ingrediar supplex tua templa, simulque  
 Cæsa cadet labris hostia vota meis:  
 Quæque tibi in medio fueram discrimine pactus,  
 Cuncta erit illa tuis indere cura focis.  
 Pinguia persoluam, plenisque holocausta medullis,  
 Pro suffitu aries igne perustus erit.  
 Cornigerosq; boues statuam, cum pinguibus hircis  
 Qui faciant aras cæde madere tuas.  
 Auribus huc animisque Deum quicumque timetis  
 Quæ mihi contulerit commoda, adeste, loquar.  
 Hunc ego sollicito mestus clamore vocabam,  
 Non minus interea laudibus ore vacans:  
 Nec dubitans, quin si prauum mihi conscius essem  
 Criminis, à precibus spes mihi nulla foret.  
 Admouit votis aurem, precibusque benignam,  
 Accessumque dedit questibus ille meis.  
 Gloria lausque Deo, qui nostris commodat aures  
 Vocibus, & facili nos pietate iuuat.

## A R G V M E N T V M P S A L M I L X V I .

*Maxima in angustum verbis arcana coërcet,  
 Plusq; habet in sensu quàm sua verba sonent.  
 Prospera venturi signantur tempora Christi,  
 Clauditur extremo carmine summa Trias.*

## D E V S M I S E R E A T V R N O S T R I .

**S**Is bonus & clemens nobis Deus, atque benigna  
 Res nostras cumules, amplificesque manu.  
 Nos super immittas sinceri lumina vultus,  
 Cordaque diuinæ lucis egena iuues.  
 Quo tua vulgetur terris via, quoque salutis  
 Dulce tuum in gentes notificetur opus,

Vt



Ut laudent festo populi tua numina cantu;  
 Et grates hominum det genus omne tibi.  
 Lætitia exultent gentes, quia iure sub æquo  
 Has censes terræ per salebrofa regens.  
 Te celebrent populi, populi te laudibus omnes  
 Attollant, fructus arua dedere suos.  
 Nos Deus adiuret, noster Deus, atque fauore  
 Sosпитet, allata nos Deus auctet ope.  
 Perpetuoque ipsum cuncti metuantque, colantque,  
 Terra vel extremis quos habet vlla plagis.

ARGUMENTVM PSALMI LXVII.

*In breue contractas leges, veteremq; nouamq;  
 Plurimaq; illius mystica, & huius habes.  
 Namq; stupenda refert veteri patrata sub æuo,  
 Quæ Domini vires, & pia corda docent.  
 Parte alia Christum memorat, Christiq; triumphos,  
 Atque eius forti tartara victa manu.*

EXVRGAT DEVS ET.

**E**Xurgat, tendatque suos Deus ultor in hostes,  
 Et celerem sparsos cogat inire fugam.  
 Diffugiant inimicę acies terrore, nec eius  
 Præ trepido valeant lumina ferre metu.  
 Utque leuis tenues fumus difflatur in auras,  
 Liquitur vt calidis addita cera focus:  
 Sic quoque deficient quibus est peccare voluptas,  
 A vultuque Dei noxia turba cadat.  
 Porro epulis contrà iusti saturentur opimis  
 Gaudia testantes plausibus alta suis.  
 Luxurient animis, atque oblectentur, & ipso  
 Lætitia exultent aspiciente Deo.  
 Ipsius ô grato celebretis nomina cantu,  
 Venturoque aptam sternite quisque viam.

Quippe

Quippe aderit vectus celeri super æthera curru,  
Qui titulum Domini cuncta creantis habet.  
Hoc spectante hilares gestus ostendite, & hostes  
Turbida ab attonito corda pauore tremant.  
Hoc patre pupillus, vidua hoc quoq; iudice tuta est.  
Qui celi immotus iugiter arce manet,  
Moribus vnanimis tecto coniungit eodem,  
Et steriles læta crescere prole facit.  
Robore præualido nexorum vincula soluit,  
Et tenebris illos carceribusque leuat.  
Excitat & tetra vitiorum sorde sepultos,  
Impia acerbantes per sua facta Deum.  
Quum Pelusiaca Deus ab regione præires,  
Conspicuis populo per loca vasta tuo,  
Intremuit tellus, stillarunt cælitus imbres,  
Tam fuit Isacidum vis metuenda Dei.  
Largiter auxiliis recreas pluuias agros,  
Quos placuit partem sortis habere tuæ.  
Squallebat fors ista quidem, atque afflictæ iacebat,  
Vtilis at rursus munere facta tuo est.  
Sic adeo, vt nunc hic sibi grata habitacula ponat  
Grex tuus, hinc dulcem carpat egenus opem.  
Illustres nobis tribues ex hoste triumphos,  
Quos cantatrices ad sua sinistra sonent.  
Rex exercituum populi tibi semper amati,  
O inquam populi qui regis arma tui,  
Tu dabis exuuias turbæ spoliūque subactæ  
Diuiduè domui distribuenda tuæ.  
At vobis ollas inter fuligine turpes  
Mente soporatis si cutis atra fuit,  
Nunc argentatis eritis candore columbis,  
Et rutilus auro per sua terga pares.

Quum-

Quumque suæ omnipotens Reges partiuerit vrbi,  
 Alba velut Selmon, quum niue candet, erit.  
 Mons in ea Domini tam vertice surgit opimo,  
 Ut iuga Basanis fertiliora neges.  
 Vbere mons fructu, mons & pinguedine felix,  
 Quid, reliquos tali creditis esse solo?  
 Delegit montem Deus hunc ex omnibus vnum,  
 Quem colat ut propriam tēpus in omne domū.  
 Innumeri hunc stipant currus per inane sequentes,  
 Inque his æthereo de grege læta cohors.  
 Præsidet in monte hoc numero comitatus eodem,  
 Ut quondam in sacro vertice Sina tuo.  
 Iam Deus ascensu celorum celsa subisti,  
 In tua captiuos lucida regna vehens.  
 Quo simul ingressus, mortalibus ampla dedisti  
 Munera, prælargâ diuitiasque manu.  
 Quin pugnax etiam gēs, & malè credula quondam  
 Hæc Domino facta est hospite digna Deo.  
 Ergo Deum iusto laudum celebramus honore,  
 Iure ipsi grates & pia verba damus.  
 Scilicet vsque adeo pepulit mala cuncta, salutis  
 Ut faciles nobis fecerit esse vias:  
 Ille Deus nostræ vitæ seruator, & idem  
 Arbitrium solus, iuraque mortis habens.  
 Optimus ipse licet, capita attamen hostica franget,  
 Atque horum vellet, disijcietque comas,  
 In vitiis passu qui progrediuntur iniquo,  
 Et delinquendi non posuere modum.  
 Porrò autem contra sic consolatur amicos,  
 Coguntur quoties ad fera bella suos:  
 Vosego defensos velut à Basane reducam,  
 Et tanquam rubri per vada sicca maris.

Vestra

Vestra per hostilem gradietur planta cruorem,  
Qui quoque vestrorum est esca futura canum.  
Successus persæpe tuos, eque hoste triumphos  
Vidimus, atque tuæ clara trophæa manus.  
Clara trophæa inquam nostri Regisque, Dei que,  
Illius, est sancta cuius in æde locus.  
Ante ipsum proceres mixti psallentibus ibant,  
Multa aderat pulsans tympana virgo comes.  
Quotquot ab Israële genus ceu fonte refertis,  
Cætibus in vestris tollere laude Deum.  
Paruulus hîc aderat mentem super æthera raptus,  
Beniamin Princeps ordinis ipse sui.  
Agmina ductabant huius quoque læta triumphi  
De Iuda proceres maxima turba sati.  
Cernere erat claram prisco Zabulone creatam  
Progeniem, atque tuos Nephthali terra duces.  
Virtuti ô iniunge tuæ Deus, vt tua firmes,  
In nobis bonitas quod bene cepit opus.  
Tunc pia dona tibi Reges toto Orbe sacrabunt,  
A templo incipient vrbs Solimæa tuo.  
Increpa arundineis qui nos hastilibus vrgent,  
Certantes rapidæ perdere more feræ.  
Collectos cernis populi consurgere tauros,  
Qui vitulas inter nomina prima gerunt.  
Vt proculex torres abigant patria que, focisque,  
Quos liquet argenti vt lucida massa probos.  
Disijce crudeles & amantes prælia gentes,  
Pax quibus inuisa est, atque aliena quies.  
Sic tibi legatos Ægyptus mittet, & vltro  
Æthiopes tendent ad tua iussa manus.  
Æterno laudes terrarum regna parenti  
Concinite, Hymnisona dicite laude Deum.

Psallite

Psallite celsa Deo subeunti sidera, qua Sol  
 Exoriens primo lumine spargit humum.  
 Ecce suæ tribuit vires, & pondera voci,  
 Omnis ei cędat gloria, & omne decus.  
 Cuius magnificentia in Israële refulsit,  
 Virtutem cuius nubila summa docent.  
 Hac sibi deuotos cura fouet, atque gubernat,  
 Vt mirum in sanctis se probet ipse suis.  
 Roboreque Isacidas iusto bonus instruet, atque  
 Viribus implebit, laus sit honosque Deo.

ARGVMENTVM PSALMI LXVIII.

*Quis precor ista legens Christi neget esse querelas,  
 Sint quamuis aliò qui referenda putent?*

*Hoc te probra monent, & acerbi potus aceti,  
 Hoc data pro sapido fellea dona cibo:*

*Quæ neque Psalmographo possis adscribere Vati;  
 Nec populo, aut Solymis, magne Iacobe, tuis.*

SALVVM ME FAC DEVS.

**A**Vxilio succurre Deus mihi, namque malorum  
 Vnda minax animæ surgit ad ima meæ.  
 En mea inhæserunt alto vestigia limo,  
 Plantaque nil solidum quod mea calcet habet.  
 Me funesta tenent medij discrimina ponti,  
 Tempestasque caput merfit acerba meum.  
 Arida continuis mihi raucent ora querelis,  
 Te spectans acies debilitata mea est.  
 Credo, mei capitis numero vicere capillos  
 Sponte sua osiores quos iuuat esse meos.  
 Vt taceam numerum, cumulati roboris auctu  
 Crescit in exitium turba parata meum.  
 Quæ nunquam rapui, vis me præstare subegit,  
 Alteriusque mihi culpa luenda fuit.

Quid

Quid mea peccarit Deus insipientia nosti,  
 Nec fugiunt oculos crimina nostra tuos.  
 Ne patiare bonis verti mea damna rubori,  
 O Domine armorum militiaeque potens.  
 Efficiaeque precor ne fiam caussa pudoris  
 His, quibus est numen quaerere cura tuum.  
 Te siquidem propter sponte haec ego probra subiui,  
 Oraque suffuso sparsa pudore tuli.  
 Fratribus externus propriis sum factus ab ipsis,  
 Allophylusque mea de genitrice satis.  
 Quippe tua ardebam calido sacraria zelo,  
 Illatumque tibi dedecus ipse tuli.  
 Si fleui, atque meo indixi ieiunia ventri,  
 Rideor, & vitium nominis inde traho.  
 Vel mea si sacco vestiui membra molesto,  
 Quem duro Cilices composuere pilo:  
 Materiam inde suis ducit quoque risibus, atque  
 Illudit famae turba proterua mea.  
 Curia tota sales me contra iactat amaros,  
 Meque popina madens ad sua vina canit.  
 Flebilis interea tristes tibi fundo querelas,  
 Dum veniat placiti mollior hora tui.  
 Pro pietate tua, quam non mensura coercet  
 Vlti, feras aures ad mea vota tuas.  
 Proque fide solita, qua verae pacta salutis  
 Stant tua, ne infigar, me rogo tolle luto.  
 Tu miserum vindex osoribus affere iniquis,  
 Effice ne saeva gurgite mergar aquae.  
 Ne tegar vndarum rabie, mergarue profundo,  
 Aut baratri stygio deuorer ore, veta.  
 Exaudi, atque meos quaeso ne despice casus,  
 Impense pietas quippe benigna tua est.

O cuius nullos habet indulgentia fineis,  
 Ærumnas placido lumine cerne meas,  
 Parce tuo faciem puero subducere, namque  
 Opprimor, exaudi, nec, precor, adde moram,  
 Adsera me, vitamque meam Pater optime serua,  
 Inuidus allatam cernat vt hostis opem.  
 Tu quibus opprobriis agiter, quantumq; pudorem,  
 Contemtumque feram, conscius esse potes.  
 Non tua quippe latent inimici lumina nostri,  
 Mens mea nil præter probra, cruceſque manet.  
 Tristitiæ socium, & pariter mea damna dolentem  
 Quæsiui, nemo qui illa doleret, erat.  
 Qui daret infando solatia blanda labori  
 Optaui, nemo, qui dare vellet, erat,  
 Adde quod afflicto mordaci felle cibarunt,  
 Et sitis est acido nostra rigata mero.  
 His igitur posita fiant in retia mensæ,  
 Mercedisque loco scandala multa ferant.  
 Ne videant, ipsorum oculos caligine vela,  
 Néue queant sursum tendere, terga preme.  
 Hos super effundas irarum tota tuarum  
 Fulmina, in arreptos vimque furoris agas.  
 Illorum vacuas habitator deserat vrbes,  
 Nec quisquam deinceps impia tecta colat.  
 Quem tua namque manus plagis afflixit, eundem  
 Perdere contendunt vltiore malo.  
 Vulnere nostra nouo cumulant maleiuncta dolore,  
 Inque cicatrices illa coire vetant.  
 Tu scelus istorum sceleri superadde, nec vnquam  
 Confortes fiant iustitiæ, oro, tuæ.  
 Impia delibro viuentium nomina dele,  
 Inque pijs scriptos ne patiare legi.

Ipse quidem iaceo pauper, plenusque dolorum,  
 Sed nostræ curam spero salutis ages.  
 Hinc mihi sancta subit festo tua nomina cantu  
 Pangere, te celebri tollere laude iuuat.  
 Hæc tibi grata magis, vituli quàm victima cæli  
 Insignita caput cornibus, vngue pedes.  
 Huc ô huc tenues oculos aduerite vestros,  
 Cognita lætitiâ mentibus ista ferent.  
 Quærite mente pia Dominum, rerumque parentē,  
 Incolumis vitæ tempora nempe dabit.  
 Ille preces inopum molli pius excipit aure,  
 Et vinctis dura compede præbet opem.  
 Laudibus hunc cæli, tellus, & pontus honoret,  
 Terraque, vel pontus reptile quidquid habet.  
 Scilicet aëriæ instaurabit lapsa Sionis,  
 Urbibus ille decus reddet Iuda tuis.  
 Mœnia restituet profugis habitanda colonis,  
 Quisque suo ad patrias iure redibit opes;  
 Quas porrò excipiet series ventura nepotum,  
 Qui puro Domini pectore nomen amant.

## A R G V M E N T V M P S A L M I L X I X.

*Arma inimica sibi metuit nocitura, Deiq;  
 Supplicat auxilio subueniente regi.  
 Quilibet vtiliter sermone precetur eodem,  
 Se quoties cernet Damonis arte peti.*

## D E V S I N A D I V T O R I V M.

**A** Dis, ô placidusque leues Deus alme laborē,  
 Quo premor, & celeri numine cōfer opem:  
 Obruat infelix pudor, & confusio vultus  
 His, quibus est animam perdere cura meam.  
 Dent volucris sua terga fuge, probriumque reportent  
 I 2 Delusi,



Delusi, vitæ qui mihi damna parant.  
 Mox abeat, scædumque trahat mala turba ruborem,  
 Quæ mihi compositis euge, ait, euge, dolis.  
 Porrò in te exultent, & agant pia gaudia: quorum  
 Pectora quærendi sunt studiosa tui.  
 Et dicant, semper Domini cumulentur honores,  
 Quotquot læta tuæ dona salutis amant.  
 At me pauperies infelix vrget, egestas  
 Nuda premit: solita me pietate iuua.  
 Tu mihi præsidium es, pressumque in tuta reponis:  
 Mitte Deus properæ, te rogo, munus opis.

ARGUMENTVM PSALMI LXX.

*Creditur arma sui fugiens hostilia nati  
 Soluisse in taleis anxius ora sonos:  
 In quibus auxilium querula nunc voce precatur,  
 In sese Domini nunc benefacta refert.*

IN TE DOMINE SPERAVI.

**I**N te summa mei iam pridem nixa recumbit  
 Spes animi, vanam ne Deus esse velis.  
 Da precor vlla meos nequeam per tempora vultus  
 Sperando lufos erubuisse queri.  
 Me miserum, rogo, solue malis, & sorte maligna  
 Eripe, iustitiæ pro ratione tuæ.  
 Ne graue sit pronas inæstis dare fletibus aureis,  
 Præsentemque meis addere rebus opem.  
 Aspicias vt dubiis nutet mea vita periclis,  
 Te protectorem sentiat ipsa Deum.  
 Tu locus, & rupes nullum expugnanda per hostem  
 Esto mihi, & per te sit mea tuta salus.  
 Namque meæ vires solus, mea robora solus,  
 Quem possim timida solus adire fuga, es.

Mi Deus, è manibus fontis me surripe turbæ,  
 Quæ mala, contra quàm lege vetatur, agit.  
 Tu siquidem es Domine expectatio nostra, fuisti  
 Tum quoque spes, ætas cùm noua nostra fuit.  
 Tempore penè adeò spes hæc mihi sedit ab illo,  
 Editus vt primùm de genitrice fui.  
 Te duce materna processu natus ab aluo,  
 Grata igitur semper te mea lingua canet.  
 Tanquam prodigium multis sum factus, & instar  
 Portenti: adiutor sed mihi fortis ades.  
 Nostra tuis igitur repleantur laudibus ora,  
 Vt decus vsque tuum, magnaque facta canam.  
 Tempora cùm tulerint tardæ mihi damna senectæ  
 (Cura fui iuuenis) sim tibi cura senex.  
 Viuida quando mihi defecto corpore virtus  
 Cesserit, ô ne me deseruisse velis.  
 Ecce agitant tacitis de me sermonibus hostes,  
 Occultaque mihi quæritur arte malum:  
 Consilioque simul conspirauere coacto,  
 Insidias animæ qui posuere meæ.  
 Atque ita dixerunt, Domini illum cura reliquit,  
 Auxilio nudum deseruitque suo:  
 Ergo sequi curetis eum, comprehendite inermem,  
 Nec qui comprehensum liberet, vllus erit.  
 Quare agè, ne procul hinc nobis absiste relictis  
 Quæso Deus, celerem ferque propinquus opem.  
 Robore cassa suo turpem confusa ruborem  
 Ore trahat vitæ noxia turba meæ.  
 Infames vultus, confusio fœda, pudorque  
 Obruat illorum, qui mea damna volunt.  
 Porrò equidè firmam semper spem mente fouebo,  
 Laudibus & laudes accumulabo tuas.

Iustitia vsque meo tua diuulgabitur ore,  
 Quamque mihi attuleris sæpe salutis opem.  
 Virtutumque licet, benefactorumque tuorum  
 Me numerum, diues copia nosse vetet:  
 Ut ramen ingrediar laudes, tua summa potestas  
 Sufficiet vireis, vt valeamque dabit.  
 Iustitiæ pia facta tuæ meditabor, & ipsa  
 Materies nostri carminis omnis erit.  
 Tempus ad hoc per te primo sum doctus ab æuo,  
 Et tua perpetuo facta stupenda loquar.  
 Nec prius absistam, niuei quam tempora cani  
 Nostra tegant, senium tarda que membra grauet.  
 Interea ô semper tibi sim Pater optime curæ,  
 Nec me neglectum deserere antè velis,  
 Quàm tua præualidæ fortissima robora dextræ  
 Fecero venturis gentibus esse palàm,  
 Iustitiamque tuam, quæ se vel sedibus altis  
 Intulit, & cæli climata celsa regit:  
 Denique quam ritè extulero tua maxima facta,  
 Facta, quibus similis quis queat esse tibi!  
 O tua me quantis obiecit casibus ira,  
 Qui numero multi, mole fuere graues!  
 Postmodo conuersis animis, & numine dextro  
 Vitæ indulxisti conciliatus opem.  
 Cumque ego penè forem terræ demersus abyssis,  
 Te redij in veterem restituente locum.  
 Tu mihi magnificæ bonitatis signa dedisti,  
 Signa repentinis amplificata notis.  
 Nam modò, cùm premerer, solatia grata tulisti  
 Presso, atque est per te fors releuata mea.  
 Ergo tuis meritis præconia digna reponam,  
 Et verax nostræ voce ferere chelys.

Te molli cithara, & fidibus celebrabo canoris,  
 O Israël sancte Monarcha domus.  
 Labra mea exultant hilares tibi promere cantus,  
 Quam seruasti animæ par quoque cura meæ est.  
 Iustitiam mea lingua tuam meditabitur omni  
 Tempore, tamque pium perpetuabit opus.  
 Præcipuè quando turpi suffusa pudore  
 Ora ferat cladi turba parata meæ.

## ARGUMENTVM PSALMI LXXI.

*Ad Solomona licet possint nonnulla referri,  
 Hic tamen ô solus tu mihi Christe sonas.  
 Cuius regna canit totum fundenda per Orbem,  
 Quodq; aderis cunctis gentibus alma salus.*

## DEVS IVDICIUM TVVM REGI DA.

Iudicio Deus oro tuo Regem instrue, & eius  
 Regali genito da tua iura sequi.  
 Ut lege, & iusta populum ratione gubernet,  
 Rectaque pauperibus cernere, & æqua velit.  
 Ut montes auidi pacem, collesque receiptent  
 Iustitiam, populo quæ sit amica tuo.  
 Non sinet hic inopes violari, iuraque contra  
 Ipsos à turba diuitiore premi.  
 Ille inquam vigili cura seruabit egenos,  
 Nec peragi falso sufferet ore reos.  
 Donec erit Titan, donec vaga Luna manebit,  
 De stirpe in stirpes vsque perennis erit.  
 Haud aliter summo descendet ab æthere lapsus,  
 Quam pluuia in vellus deflua molle cadit.  
 Utque rigat terras placidis stillatibus imber,  
 Sic placidè in matris terrea membra fluet.  
 Iustitia ipsius nascerur sancta diebus,

Multaque pax, finem tunc habitura suum,  
 Menstrua Luna polum quando sublata relinquet,  
 Desinet & solitas noctis obire vias.  
 A pelago ad pelagus sua regna extendet, & vsque ab  
 Iordane ad fines vltima terra tuos.  
 Ante hunc Æthiopes procumbent, ipsius hostis  
 Immundam pronò pectore linget humum.  
 Dona ferent Cilicum Reges, quosque insula longè  
 Orbis in ignoti partibus vlla tenet.  
 Accedent Arabum Reges, Regesque Sabæi,  
 Portantes Domino munera iusta suo.  
 Denique terrarum quotquot moderantur habenas,  
 Huic se prouoluent, subiicientque caput.  
 Scilicet eripiet valido de diuite egenum,  
 Nemo leuatricem cui dabat ante manum.  
 Afflictos, tenuesque bonus clementer habebit,  
 Certa que pauperibus causa salutis erit.  
 Eruet insidiis ipsos, ac fenore pressos  
 Exoluet, spretos nec iacuisse sinet.  
 Viuet hic, atque Arabum fuluo donabitur auro,  
 Semper vt ex illo munera sumat, erit.  
 Quotidieque suas laudes grato ore referri  
 Audiet, & sese tempus in omne cani.  
 Farre replebuntur montes hoc Rege, supraque  
 Tollentur Libani fertilitate iugum.  
 Florebunt ciues, ceu læti gramina campi,  
 Crescentes numero, fertilitate, bonis.  
 Quare semper honos eius, nomenque manebit,  
 Flammigerum Phæbi quod fuit ante iubar.  
 Gaudebunt gentes per eum toto Orbe beatæ,  
 Huic decus, & laudes ipsius vsque canent.  
 Isacidum Domino debetur summa Deoque  
 Gloria,

Gloria, qui solus digna stupore facit.  
 Inque omne ipsius maiestas nominis ævum  
 Laudetur, totam quippe replebit humum.  
 Quæ cecini modo cumque Deus succedere nobis  
 Dones, fac solida stent mea dicta fide.

## A R G V M E N T V M P S A L M I L X X I I .

*Iniustos opibus quando florere videbis,  
 Diuersaq; premi conditione pios,  
 Ut nihil angare, ut speres, curasq; remittas,  
 Aptus ad ista tibi Psalmus hic auctor erit.*

## Q V A M B O N V S I S R A E L D E V S .

**Q**uanta Dei bonitas est Israël, in illos,  
 Qui puro certant pectore recta sequi.  
 Penè pedes nostri turpem fecere ruinam;  
 Penè, velut calcans lubrica, lapsus eram.  
 Nempe malos cernens rebus florere secundis,  
 Invidi, & prauum penè sequebar iter.  
 Nam neque venturo torquentur funere, & omnis  
 Pœna breui finem, si patiantur, habet.  
 Non tolerant duros hominum de more labores:  
 Nec, quæ sunt aliis sæpe ferenda, ferunt.  
 Propterea elati fastu tumuere superbo,  
 Propterea faciles ad scelus omne ruunt.  
 Scilicet è lautis rebus quocunque tenentur,  
 Prodit, & è iugi prosperitate malum.  
 Hinc quodcunque audent tacito præsumere sensu,  
 In scelerata palàm fundere facta solent.  
 Non laxare timent sermonibus ora profanis,  
 Impiaque in summum stringere verba Deum.  
 Nec satis est homines tumida proscindere voce,  
 Fertur & in superas lingua proterua domos.

Hæc faciunt solita populum decedere meta,  
 Recta que in obliquas vertere cœpta vias.  
 Iam iusti propera rapiuntur morte, nocentes  
 Accipiunt vitæ tempora plena suæ.  
 Id quoque cernentes studiis modò recta secuti,  
 Cœperunt tali verba sonare modo:  
 Quomodo nostrarum sint conscia Numina rerum?  
 An credam in superis cognita nostra locis?  
 En plenis rerum splendore nocentibus adsunt  
 Diuitiæ, & quæuis adificiuntur opes.  
 Hinc etiam stulto quondam surgente dolore  
 Offensus, tali voce locutus eram.  
 Ergo iustitia mihi cor sudauit inani,  
 Frustra habui in fonteis, & sine labe manus.  
 Nil plagas tolerasse iuuat, frustra que mei me  
 Ultorem vidit criminis orta dies.  
 Rursum ego sic mecum, si fari talia coner,  
 Illos vituperem qui placuere Deo.  
 Ergo constitui studio perquirere, vt esset  
 Iudicij istius cognita causa mihi:  
 Iamque ego scrutando sperabam discere posse,  
 Res fuit ingenio grandior illa meo.  
 Nec superare quidem fuerit fas antè sciendo,  
 Quàm subeam celsi templa sacrata Dei.  
 Tunc conspecta mihi, dubiis vt soluar ab istis,  
 Illorum tandem fata suprema dabunt.  
 Nâque his multiplici cladem pro fraude rependes,  
 Ad loca subuectos protinus ima premes.  
 O quàm festino hos liquit fortuna recessu!  
 Quàm sunt à veteri conditione procul!  
 Ob sua sunt subitis consumpti crimina fati,  
 Facta que supplicium propter iniqua luunt.

Vtque

Vtque leuis vacuas per somnum ludit imago  
Mentes, atque illo diffugiente fugit:  
Gloria sic horum, tanquam si nulla fuisset,  
E manibus subito tempore rapta fluet.  
Quin etiam Deus vrbe tua monumenta nocentum  
Contemni facies, exitioque dabis.  
Quare cum dudum mihi cor flagrabat ab æstu  
Inuidiæ, renes dum doluere mihi.  
Bardus eram, & sano caruerunt pectora sensu,  
Teque vidente fui nil nisi bruta pecus:  
Semper eram tibi cura tamen, dextrâq; prehendes,  
Per loca lapsanti lubrica ductor eras.  
Per rectum me duxit iter tua prona voluntas,  
Excipiarque tuo plenus honore sinu.  
Ecquid enim placeat, toto nisi tu mihi cælo?  
Ecquid in hoc præter te Deus Orbe velim?  
Deficit hoc corpus, languentque cupidine vires,  
Corque iacet, mihi te dum mora lenta negat.  
Pectora nostra leuans Deus es, semperque futurus,  
Certaque nostrarum portio solus opum.  
Certè etenim perdes abs te quicumque recedunt,  
Et quibus haud tua sunt numina summus amor.  
Certa salus hæsisse Deo mihi mente tenaci,  
Inque ipso totam spem statuisset meam.  
Vt tua per Solymas vulgem miracula portas,  
Quas sibi suppositas despicit alta Sion.

ARGV-



## ARGUMENTVM PSALMI LXXIII.

*Vltima vaticinans Solymorum fata recenset,  
 Digna sub Ausonio qua subiere Duce.  
 Hac videor nostras spectare in imagine clades,  
 Quas nimis, ah, paruo tempore Turca dabis,  
 Ni reparare Dei lapsos properemus honores,  
 Prisca nisi redeat cum pietate fides.*

VT QUID REPVLISTI IN FINEM.

**E**Cquid in æternum nos ô Deus vsque repellis,  
 Afflictosque odio sine carente premis?  
 Quò furor iste tuus tantas exarsit in iras,  
 Vt proprij possis spernere ruris oueis?  
 Placatus miseri tandem reminiscere cœtus,  
 Qui tuus, vt primùm cœperat esse, fuit.  
 Possessorque tuam reuoca sub pectora sortem,  
 Quæ quondam forti Marte redempta tuo est.  
 Adde Sionæi tam grata habitacula montis,  
 Vt solitus sedes sis ibi habere tuas.  
 Vlturas attolle manus, pœnasque superbis  
 Congere, ad extremum sitque tua ira tenax.  
 Me miserum quantis, & quàm furialibus ausis  
 Affixit sanctos hostica turba tuos!  
 Cùm tibi sollenni populus de more litaret,  
 Esset & in medijs sedula turba sacris,  
 Latiùs in sonuit successu elata secundo  
 Nominis immensi gens inimica tui.  
 Quin mala signarunt positis illata trophæis,  
 Pendulaque in variis signa steterè locis.  
 Nec cognouerunt te nostra ob crimina pœnas  
 Exigere, atque tua hæc vindice facta manu.  
 Hinc loca vexillis portarum summa notarunt,  
 Non secus, ac proprij Martis id esset opus.

Ac

Ac velut in siluis lignator densa securi  
 Robora proturbat, cæsaque sternit humi,  
 Sic passim ferro validisque bipennibus vsi,  
 Quælibet oppositas dissecuere fores.  
 Ascia, & æratis strauère securibus urbem.  
 Heu, qualis tanti forma relicta loci est!  
 Non timuère tuos flammis abolere Penates,  
 Æquaque facta suo sunt pia templa solo.  
 Conspurare tui veneranda habitacula tremendi  
 Nominis impura sustinuerunt manu.  
 Adde, quod hæc omnis pariter scelerata propago  
 Sic animo tacitis vocibus ausa loqui est.  
 Festa Dei toto faciamus vt orbe quiescant,  
 Quælibet & solitis cultibus ara vacet.  
 Et quanquam miseri tam sæua clade premamur,  
 Nil tamen est quod nos spe meliore leuet.  
 Signa secutura non vidimus vlla salutis,  
 Signa graui nobis tempore sueta dari.  
 Quin procul omnis abest præfaga mente prophetes,  
 Qui minuat curas prosperiora canens.  
 Nec dabitur nobis vltra cognoscere, quinquam  
 Sit modus, & nostri meta futura mali.  
 Quò Deus vsque feres hostilia probra? tuumne  
 Semper qui nomen voce læcessat, erit?  
 Ecquid ab hoste manum tam crudo auertis? in æuū  
 Cessabit ne tuo condita dextra sinu?  
 Tu tamen inde Deus iam prisca notus ab annis  
 Ex vero nostri nomina Regis habes.  
 Cuius clara palàm, & medio velut orbe, salutem  
 Dextra tulit nostris sæpe potenter auis.  
 Tu virtute tua rubri vaga flumina ponti  
 Diduxti, & spatio firma steterunt suo.

Tu

Tu mediis in aquis fecisti, inuicte, draconum  
 Merferit infelix vnda reducta caput.  
 Tu confregisti Pharij capita alta tyranni,  
 Factus & est per te gentibus esca nigris.  
 Te memini è saxis liquidos educere fontes,  
 Et fluuijs media pandere caute vias.  
 Te remorante suos requierunt flumina cursus,  
 Per vada fecisti sicca pateret iter.  
 Tu facis esse diem, tu tempora noctis opacas:  
 Est Aurora tuum, Solque coruscus opus.  
 Tu patulum certis clausisti finibus orbem,  
 Veris & æstatis tempora plasma tuum est.  
 Ergo agè, cùm tua sit manifesta potentia, cumque  
 Sit tua, quid possis, testificata manus:  
 Esto memor populi tanta impietate furentis,  
 Fac etiam vires sentiat ipse tuas.  
 Probra tibi, heu facin<sup>9</sup>, Domino ferus intulit hostis,  
 Derisit nomen gens malè sana tuum.  
 Ah, ne dede feris animas te, quæso, colentes,  
 Soluere & assuetas laudibus ora tuis.  
 Quin inopis tandem turbæ reminiscere, nec sit  
 Semper ab oblito pectore pulsa tuo.  
 Pacta recognosce, atque oculos ad fœdera verte,  
 Quæ tibi dilectis icta fuère tuis.  
 Hostis enim miseros odiis sic vrget acerbis,  
 Vt se quisque caua condere certet humo:  
 Vixque adèdò tutæ latebræ tellure sub ipsa,  
 Nec loca nos pauidos iam satis vlla regunt.  
 Ne, rogo, ferre humiles turpem patiare repulsam,  
 Tinctaque pro optatis ora pudore suis.  
 Pauper inopsque tuum tollent ad sidera nomen,  
 Si dederis fufas eualuiffe preces.

Exurge

Exurge, atque tuam Iudex, precor, assere, caussam,  
 Quæ nisi te solo stare tuente potest.

Esto memor, probris quàm sis violatus iniquis  
 A populo totos desipiente dies.

Nulla tibi veniant inimicæ obliuia fannæ,  
 Quæ tua blasphema numina voce notat.

Illorum siquidem sine fine superbia crescit,  
 Quos inimica tibi pectora ferre iuuat.

ARGUMENTVM PSALMI LXXIIII.

*Dixerit hæc Vates, Christi tamen esse negarit*

*Nemo, superbe tuum corripientis opus.*

*Audeat his opibus ne quis se tollere, norit*

*Omnia qui mutet, cum volet, esse Deum.*

CONFITEBIMVR TIBI DEVS,

CONFITEBIMVR.

**C**Armine diceris, diceris carmine nostro,  
 Qui regis æthereas lucida regna plagas.

Præsidio nostris per vota vocabere rebus,

Dicemusque tuæ facta stupenda manus.

Iudicij decreta mei cum venerit hora

(Sic Dominus) iusta iura ego lance dabo.

Delicuit tellus, pariter tellure morantes,

Fulturis stabilis sed manet illa meis.

Sontibus edixi, prauis absistite curis,

Et delinquenti, cornua celsa preme.

Admonui elatos animorum ponere fastus,

Impiaque in Dominum parcere verba loqui.

Nam neque ab Eoa, aut Phœbi regione cadentis,

Aut madidus pluias quæ Notus haurit aquas,

Adueniens aliquis præster cur cornua quisquam

Tollat, & ob magnas cur sibi plaudat opes.

Est

Est Dominus, sub quo vertuntur iudice cuncta,  
 Hunc premit, hunc celfo collocat ille loco.  
 Namque tenet dextra vini cratera meraci,  
 Cui simul admixtæ copia fæcis inest.  
 Huic vinum præstans, illi de fæce propinat,  
 Dans meliora bonis, deteriora malis.  
 Sed tamen & fæcis longè vis maxima restat,  
 Quam peccatores quotquot in orbe bibent.  
 Ast ego de Domino cunctis memorabo diebus,  
 Et celebrabo Deum cantu Iacobe tuum.

Cornua confringam prauæ sublimia gentis,  
 Contrà homini crescent cornua sancta pio.

ARGVMENTVM PSALMI LXXV.

*Assyrius Solymos dura obsidione premebat,  
 Nec releuatricis spes erat vlla manus.*

*Obsessos Dominus media de nocte relaxans,  
 Innumerum stravit lata per arua gregem.*

NOTVS IN IVDÆA DEVS.

**N**otus Iudæis Dominus celebratur in oris,  
 Inter & Abramidas nomina magna gerit.  
 Ipse suis legit pacatam sedibus urbem,  
 Ipse Sionæa firmus in arce manet.  
 Hic arcus, hic tela virum confregit, & enses,  
 Scutaque, & in nihilum denique bella dedit.  
 Lumina ab æternis (mirum) Deus ipse dedisti  
 Montibus, infani mox trepidare metu.  
 Obruta lethali clauserunt lumina somno,  
 In manibus nec se quo tuerentur, erat.  
 Per te prostrata est æterno turba sopore,  
 Quæ modo bellaces celsa premebat equos.  
 Terribilis siquidem es, cui non obsistere fas est,  
 Feruere cum vindex cœperit ira tibi.

Iudi-

Iudicium è cælo manifesta voce tulisti,  
 Nec mora contremuit terra, fuitque quies.  
 Contigit hoc, quando surgebas iura daturus,  
 Ut fieret toto mitibus Orbe salus.  
 Ergo tibi laudes hominis peperere furentis  
 Consilia in populum capta cruenta tuum.  
 Mensque tui retinens tanti vestigia facti,  
 Grata tibi peraget debito honore diem.  
 Nunc igitur cuncti qui circumquaque morantes  
 Consuestis vestro munera ferre Deo,  
 Huic etiam vosmet sanctis obstringite votis,  
 Sed quorum nunquam sit temeranda fides.  
 Territat ille minis seuos frangitque Monarchas,  
 Inque metum Reges, quos habet orbis, agit.

## ARGUMENTVM PSALMI LXXVI.

*Hic lachrymas & vota legis, prorsumq; videtur  
 Carmine in hoc gentis damna dolere sue.  
 Præteritos contra Domini dum cogitat actus,  
 Non dubitat trepido soluere corda metu.*

VOCE MEA AD DOMINVM  
CLAMAVI.

**V**Oce mea ad Dominum clamaui, voce precatus  
 Sum Dominum, nostras audiit ille preces.  
 Nam mea cum duro premeretur vita labore,  
 Prima erat hunc animi quærere cura mei.  
 Suppliciterque manus tota illi nocte leuabam,  
 Nec fuit optati mens mea falsa sui.  
 Carpere rennueram solatia blanda meorum,  
 Præponens memori mente tenere Deum.  
 Dispulit ille meas nubes, sed pressius ipsum  
 Dum meditor, memet respicioque miser,

K

Mox

Mox animus cecidit, vigilesque carentia somno  
 Vicerunt ipsos lumina nostra viros.  
 Attonito stabam similis præ pectoris æstu,  
 Sic adeò, vt posset nil mea lingua loqui.  
 Tempora præterea quondam tranfacta subibant,  
 Ac reperens animo sæcula prisca meo:  
 Plurima per noctem meditâs cum corde loquebar,  
 Verrebamque simul mentis opaca meæ:  
 Tunc ego, consuetum num sic desæuiet vltra,  
 Vt nos abiiciat tempus in omne Deus?  
 Non erit, vt fiat posita placatior ira?  
 An finem bonitas ipsius omnis habet?  
 An memorem semper misereri parcat ob iram?  
 Oblitus solitæ num pietatis erit?  
 Hæc ego questus eram, subiit cum dicere, cœpi  
 Nunc rursus lato spem refouere sinu.  
 Prouida namque vices alternat dextra supremi  
 Numinis, & gratis mutat acerba bonis.  
 Iamque recursabant eius facta inclyta, quorum  
 Semper ero prisco tempore abusque memor.  
 Scilicet illa animo tacitus meditante reuoluam,  
 Et fient studij pars operosa mei.  
 Consilium Deus omne tuum sanctumque; piump; est,  
 Nec tibi conferri qui queat vllus erit.  
 Tu Deus es, Deus ille patrans miracula, per quæ  
 Conspicuum virtus iam tua nomen habet.  
 Viribus immensis olim, forti que lacerto  
 Vincula soluisti gentis iniqua tuæ.  
 Libera que à Phario debent tibi colla tyranno  
 Quos Ioseph genuit, quos genuitque Iacob.  
 Te fluctus videre Deus, videre, metu que  
 Turbida cum trepidis fugit abyssus aquis.

Quæ

Quæ simul ac vasto pulsæ sonuere fragore,  
 Nubila terrificos scissa dedere sonos.  
 Aëra flammantes percurfauere sagittæ,  
 Et tonitru hostiles intremuere rotæ.  
 Sæua coruscarunt totum terrentia mundum  
 Fulgura, queis tellus mota tremore fuit.  
 Arida per medium patuit tua semita pontum,  
 Semita mergendis non bene nota viris.  
 Denique sicut oues populam per cærula duxti,  
 Cum fratre insolitas Mose regente vias.

## ARGUMENTVM PSALMI LXXVII.

*Abramidas Dominus Phario subduxerat hosti,  
 In fortunatos transtuleratq; locos.  
 Insuper officiis variè cumularat eosdem,  
 Nil linquens veri quod queat esse patris.  
 Gens ea sed tantos semper malè grata fauores  
 Spreuit, & indignas rettulit vsque vices.*

ATTENDITE POPVLE MEVS  
LEGEM MEAM.

**M**I popule ausculta quæ sim præcepta daturus,  
 Dicta que suscipias ore ferenda meo.  
 Eruta de tenebris fert mens arcana referre,  
 Verba que ab antiquo quæ latuere loqui.  
 Omnia quæ nobis sunt aure excepta fideli,  
 Et quæ longæui condocuere patres.  
 Hæc ego non patiar tacitus latuisse nepotes,  
 Sera que posteritas me referente sciet.  
 Ingrediar Domini laudes, & fortia facta,  
 Gesta que quæ credas non habitura fidem.  
 Sena sua Isacidis primùm testata reliquit,  
 Afficiens illos legis honore suæ.

K 2

Quam



Quam voluit patres monstrare minoribus, ipsi  
Ex sese vt curent notificare satis.  
Rursus ab his quotquot geniti exoriantur, eandem  
Iniungant soboli mente tenere suæ.  
Vt Domino fidant, cæcæque obliuia mentis  
Vitent, & cupidè tam pia iussa colant.  
Nec similes fiant atavis, qui mente rebelli  
Irarum causas sæpè dedere Deo.  
Recta quibus nunquam cordi insedere, nec vnquã  
Firmiter æterno se applicuere Patri.  
Efframidis similes, qui docti spicula, & arcus,  
Corripiunt, pugnae cùm venit hora, fugam.  
Ingrati iussis Domini parère negarunt,  
Præceptique viam non tenuere dati.  
Tot benefactorum obliti, rerumque stupendis  
Quas gessit toties, exhibuitque modis.  
Scilicet ante oculos patrum miracula quondam  
Maxima per Taneos multiplicauit agros,  
Nam mare dissecuit medium, & pendentibus vndis  
Traduxit populum per vada sicca suum.  
Dux erat his nubes de luce meantibus, ignis  
Signabat certas per tenebrosa vias.  
Adde quòd in vasta petram diffregit eremo,  
Vnde siti pressis pocula larga daret.  
Elicuit gelidam ruptis è cautibus vndam,  
Factaque mox species fluminis vnda fuit.  
Nil tamen his moti, culpas auxere priores,  
Offensæque Deo causa fuere nouæ.  
Cordibus hunc tacitis nam tentauere, voraci  
Dum ventri placitos concupiere cibos.  
Quin etiam voce insultarunt, An dare nobis  
His poterit solis fercula amata locis?

Ipse

Ipse quidem petram virga percusserit, vnde  
 Maxima multifidæ copia fluxit aquæ:  
 Propter eane queat nobis Cerealia dona  
 Mittere, num mensas instruat ille dape?  
 Audiit hæc igitur Dominus, poteratque rebelles  
 Perdere, sed fulmen distulit ille suum.  
 Quippe animi iustos moti succenderat ignes,  
 Certa que in Isacidum venerat ira caput:  
 Credere quod Dominus toto se pectore nollent,  
 Nec dare sperarent posse salutis opem.  
 Nubila dissolui iussit, cælumque reclusit,  
 Æthereoque novas misit ab axe dapes.  
 Pro dape manna fuit, pluias affudit edules,  
 De cæloque frui panibus ille dedit.  
 Angelicas fruges hominum concessit in vsus,  
 Plusque cibi, quam quis vellet habere, dedit.  
 Iamque Norum imbriferum toto discedere cælo  
 Iusserat, & pleno flamine adesse Lybem:  
 Nec mora, præcipitant celeres in castra volucres,  
 Et Deus insolito carnibus imbre pluit.  
 Pulueribus poterant numero certare minutis,  
 Sicca nec vndosi hîc vincat arena freti.  
 In populi medium lapsæ, & tentoria circum  
 Se preñdi quavis sustinere manu.  
 Ederunt igitur donec compressa libido est,  
 Nec pars optati defuit vlla cibi.  
 Vltima adhuc saturis hærebant fragmina labris,  
 Cùm Deus admissi criminis vltor adest.  
 Vltor adest, pinguesque necat de plebe magistras,  
 Cladibus electos impediitque duces.  
 Nec tamen idcirco minus indulsere furori,  
 Nulla fides tantis addita rebus erat.

K 3

Ergo

Ergo ipsis totum defluxit inaniter æuum,  
Atque perexiguas vitæ habuere moras.  
Sed quoties pœnis Dominus multaret eosdem,  
Dederet & meritæ corpora multa neci;  
Nil habuere prius Dominū quā quærere, & ipsum  
Lucis ab exortu supplice adire prece.  
Hunc & præsidiumque suum, rupemque fateri,  
Et vitæ auxilium dicere voce suum:  
Voce quidem sed mente vafra nil tale putantes,  
In speciemque pij subdola verba dabant.  
Impia turba Deum nullo candore colebat,  
Fœderibus sanctis fallere docta fidem.  
Ille tamen culpas facili pietate remisit,  
Pertulit offensas, continuitque manum.  
Irarumque suas vehementer pressit habenas,  
Mollior & multo quàm meruere fuit.  
Norat enim factos ægra de carne, nec vmbra  
Egressam solitas posse redire domos.  
Ah quoties Dominum factis læsere superbis,  
Ingressi vastas per loca sicca vias!  
Quàm sæpe Isacidum vitia ad consuetam reuerſi  
Irritare pium sustinere patrem!  
Illius immemores, à quo de gente feroci  
Erepti tandem libera colla gerunt.  
Illius immemores, toties qui facta patrarat  
Incluta, Niliacis cùm premerentur agris.  
Flumina puniceo mutauit tota cruore,  
Néue forent aptæ potibus egit aquæ.  
Fecit & omne genus celeres descendere muscas,  
Penè nihil reliqui gens ea fecit humo.  
Iusserat, & iussæ ranæ venire plauſtres,  
Atque luem cunctis imposuere locis.

Germina

Germina bruchus edax, ipso mittente, voravit,  
 Et segetes morsu sæua locusta tulit.  
 Grandine consumpsit vites, morosque pruina  
 Perdidit, arboreum sustulit omne decus.  
 Grandine stravit oves missa, fortesque iuencos,  
 Agricolumque feris ignibus vssit opes.  
 Denique rota suo laxavit frenâ furori,  
 Ira nec ulterius quò graderetur erat.  
 Quippe in eos cuncta indignantis signa peregit,  
 Vt us ad hæc geniis ex Acherunte malis.  
 Quando vias iræ latas patefecit acerbæ,  
 Cede necans homines, peste necansque pecus.  
 Cùm primas hominû stirpes, pecudumque peremit,  
 Quas erat in Chameis tum reperire casis.  
 Postmodo deduxit populum in deserta, velut si  
 Herbida ducat oves pastor ad arua suas.  
 Pergebant animis omni terrore solutis,  
 Infestos pelagi merserat vnda viros.  
 In terras, sacrique sibi fastigia montis  
 Duxit, quem valida cepit ab hoste manu.  
 Sed prius indigenas pepulit, desertaque rura  
 Ipse suis æqua sorte colenda dedit.  
 Quæque sibi pulsæ gentes habitacula locarant,  
 Abramidas fecit cuncta tenere tribus.  
 Gens ingrata tamen post tanti signa fauoris  
 Irritare Deum non fuit ausa minus.  
 Namque ea quæ dederat legum præcepta suarum,  
 Moribus & vita non voluere sequi.  
 Fœderibus ruptis refugi de more parentum,  
 Et tanquam proprium si petat arcus herum,  
 Ipsi emôrunt celsis in montibus iras,  
 Sacra vbi non Domino constituere suo.

Sculptilibus sed sacra suis, arasque calentes,  
 Hæc fuit accensi maxima causa Dei.  
 Nam simul ac populū videt hæc patrasse profanum,  
 Spernit, & ad nihilum penè agit omne genus.  
 Proiicit & charæ nuper tentoria Silo,  
 In qua terrestrem fuerat habere domum.  
 Tradidit ipsorum deflenda robora prædæ,  
 Cessit in hostiles gloria tota manus.  
 Implicuitque viros gladiis, mortique cruentæ,  
 Nec dignos vlllo duxit honore suos.  
 Corpora flammanti iuuenum sunt cesa furore,  
 Iustaque virginibus funera nemo dedit.  
 Ense sacerdotes cæsi periere, nec vllus,  
 Qui viduas lachrymis prosequeretur, erat.  
 Sed Dominus tanquam somno releuatus ab alto,  
 Vtque grauis Baccho miles ad arma ruit:  
 Sic hostes tandem postica in parte cecidit,  
 Atque in probra dedit non habitura modum.  
 Non tamen elegit vestros Iosephe tribules,  
 Rennuit Eframidas sortis habere suæ:  
 Sed tua quæ coleret delegit pignora Iuda,  
 Et iuga dilecti montis amata Sion.  
 Hic sibi magnifico sacraria celsa paratu  
 Extruxit nullo corruiura die.  
 Nec non Iesseiam prolem sibi Dauida seruum  
 Sumsit, sectantem tum genitoris oues.  
 E mediis illum caulis ad sceptra vocauit,  
 Vt populi fieret pastor, vt antè, gregis.  
 Pasceret Abramo quondam genitore creatos,  
 Quos bonus in sortem legerat ille suam.  
 Sedulo pauit eos igitur, curaque fideli  
 Et rexit docta tempus in omne manu.

A R G V -

## ARGUMENTVM PSALMI LXXVIII.

*Aspera fatidicus lachrymoso carmine David  
Nuntiat Antiochi damna profecta manu.  
Tempore quo Solymam fecit manare cruore,  
Omnia cum sancta raptor ab ede tulit.  
Nunc quoq; quam multos, si quod modo viuitur aui  
Inspicias, reris talia posse queri?*

## DEVS VENERVNT GENTES.

**I**Mpia gens cæco Deus extimulata furore,  
Intulit in fines aspera bella tuos.  
Templaque sacrilego tua demens polluit ausu,  
Territa nil sacri religione loci.  
Quin Solymæ similem cellæ dedit esse figuram,  
Condit vbi hortenses poma colonus opes.  
Obtulit aliribus pascenda cadauera, quorum  
Dedita præceptis mens fuit vsque tuis.  
Innocuoque feras sanctorum viscere pavit  
Silua, quibus crudam præbuit antè dapem.  
Instar aquæ circum Solymos vndare cruorem  
Fecit, nec, cæsos qui sepeliret, erat.  
Tot mala perpeffis vicini illudere certant,  
Hostibus & risus sannaque acerba sumus.  
Quò Deus alme precor tuus exardescet, vt ignis  
Materia flammam sufficiente, furor?  
In gentes potius conceptos euome motus,  
Quarum corda tui cognitione carent.  
Et tua quæ pudeat votis excelsa vocare  
Nomina, verte tuas in fera regna manus.  
Namque Iacob sæuis laniarunt dentibus, & iam  
Sedibus excisis omnia vasta iacent.  
Nostra precor memori ne crimina mente reserues,  
Læsa quibus bonitas sæpius ista fuit.

Ac potius tristes casus miserare tuorum,  
 Quos modò pauperies continuata premit.  
 Nostra salus, fer opem solita pietate, precamur,  
 Et vitiis merfos culpa remissa leuet.  
 Ne patere infestæ faciant conuitia gentes,  
 Et rogent, noster quis sit, vbiue Deus?  
 Vindictet infantes tua nos clementia, pœnas  
 Hostica pro fuso turba cruore luat.  
 Accipe victorum mæsto de corde querelas,  
 Exprimit has squalor carceris, atque situs.  
 Proque tuæ ingenti dextræ virtute, periclis  
 Soluere, quos morti destinat hostis, ames.  
 His, tua qui facili violarunt numina voce,  
 Septuplici meritum fœnore redde malum.  
 Nos tibi sacratus populus, campi que tui grex  
 Ardua tollemus nomen ad astra tuum.  
 De sobole in sobolem nostra celebrabere lingua:  
 Perpetuo illa tuæ nuntia laudis erit.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIX,

*Huius, & illius modo qui precessit, eundem  
 Antiochum causam carminis esse putant,  
 Hebræam Vates vitis sub imagine gentem  
 Signat, vastari quam fero ab hoste dolet.*

QVI REGIS ISRAEL.

**Q**ui regis Israël, miseris intende querelis,  
 Quas modò fors nobis exprimit equa parû.  
 Qui ceu pastor ouem, sobolem deducis Ioseph,  
 Regnator Cherubin qui super alta sedes.  
 Effraim coram Benjamin, atque Manasse  
 Fac agè conspicua notificeris ope.  
 Summa tuæ iam nunc exerce robora dextræ,  
 Atque veni nostris læta medela malis.

Pone

Pone iram, & vultus horsum conuerte benignos,  
Id fuerit nobis indubitata salus.  
Quo Deus armipotens proprij te quaeso popelli  
Despicias ira feruidus vsque preces?  
Quaeso quoad miseros lachrymarum pane cibabis,  
Nostraque largifluus pocula fletus erunt?  
Nos sibi finitimi praedam retrahuntque, trahuntque  
Rixantes, sannis exagitantque suis.  
Huc Deus armipotens nitido conuerrere vultu,  
Causa que saluifica prosperitatis eris.  
Traduxti Pharia vitem regione, fugatis  
Gentibus, & firmo constitit illa solo.  
Sedulus hac quondam gressum tendente praestitisti  
Per non consuetas duxque comesque vias.  
Quin plantata tibi radices illa profundas  
Egit, & altricem lata repleuit humum.  
Aerios montes vmbra vestiuit, & eius  
Obruit ingentes brachia panda cedros.  
Aequora palmitibus, flumen propagine longa  
Attigit, in patriis quod bibit Assur agris.  
Hei mihi cur solitis nudasti sepibus illam,  
Cur sinis a populo praetereunte rapi?  
Hanc aper è siluis vastat custode carentem,  
Et patet omnigenis depopulanda feris.  
Huc Deus armipotens nitido conuerrere vultu,  
Et nos caelesti de regione vide.  
Tam grauibus vexata malis tibi vinea cura  
Sit tua, & auxilium sentiat oro tuum.  
Hanc pater instaure, fac vt collapsa resurgat,  
Quae stetit ante tuae consitione manus.  
Si despecta tibi est, hominis tamen aspice natum,  
Quem tibi praecipui roboris inde paras.

Parte



Parte quidem perijt flammis succensa, manuque  
 Hostili fœdè parte reuulsa iacet.  
 Sed si immota tibi manet indignatio vultus,  
 Mox superet vitis portio nulla tuæ.  
 Protegat Israëlèm igitur manus ista, regatque,  
 Fecerat inuictum quem tua dextra prius.  
 Atque hominis natum, quem viribus instruxisti,  
 Quo tibi conciliet per sua facta decus.  
 Sic erit vt nullus tua nos præcepta sequentes  
 Abs te in perpetuum deuius error agat.  
 Da certam nobis vitam pro morte propinqua,  
 Cultores erimus nominis vsque tui.  
 Huc Deus armipotens nitido conuertere vultu,  
 Sic fuerit nobis læta recepta salus.

ARGUMENTVM PSALMI LXXX.

*Solennes celebrare dies, ritusq; sacratos*

*Admonet, & reditus mensura Luna tuos:*

*Relligio hinc qua damna ferat neglecta videmus,*

*Et si non aliud, tempora nostra docent.*

EXULTATE DEO ADIVTORI.

**E**Xultate Deo, qui nos seruatque, iuuatque,  
 Plaudite Iacobæo concio sancta Deo.  
 Sumite iò psalmum, pulsandaque tympana ferte,  
 Lætitiâ cytharis nablia mixta sonent.  
 Clangite tortilibus lituis, cornuta remenso  
 Luna suo insignem nunciat Orbe diem.  
 Scilicet Ifacidis seruandum in secula morem  
 Hunc Deus edixit magne Iacobe tuus.  
 Hæc eadem pia sacra sui monumenta fauoris  
 Iussit Iosephi à posteritate coli,  
 Tristia dum fugeret sistrati regna Tyranni,  
 Insolitaque novos carperet aure sonos.

Fasce

Fasce graui Dominus populi quum terga leuasset,  
 Et cophinis fessas, fictilibusque manus.  
 Rebus in angustiis quum me clamore vocares,  
 (Hæc Dominus) præsens adfui, opemque tuli.  
 Quum Deus igniuoma tectus sub nube laterem,  
 Fluctibus hostiles obrueremque rotas:  
 Tunc ego vos primùm facto tentare periclo  
 Ad motæ volui seditionis aquas.  
 Gens mea nunc animos sanis aduerte loquelis,  
 Nam tibi quod res est testificando loquar.  
 Quòd si mente meos monitus, & scita tenebis,  
 Si noua constitues numina nulla tibi:  
 Si fugies palmas peregrinis tendere diuis,  
 Meque pia solum religione coles:  
 (Namque Deus tibi sum solus, qui robore multo  
 Te duxi è Phariis in meliora locis.)  
 Quod si inquam studio perages mea dicta fidei,  
 Pande tua optatis ora replebo bonis.  
 Iusta quidem moneo, sed nemo iusta monenti  
 Paret, & ingratos nil mea verba mouent.  
 Per me igitur vadant quo ducet cumque libido,  
 Et laxent animos ad mala quæque suos.  
 Si tamen huic populo cura auscultare fuisset,  
 Et mea præscripto tramite dicta sequi.  
 Qua miser opprimitur nullo mihi turba labore  
 Fracta fouet, nostra corrueatque manu.  
 Iamque pium saltem vultu mentita fauorem  
 Offerret blandas supplice voce preces.  
 Huic quoque temporibus populo felicibus uti  
 Fas erat, & vita in secula multa frui.  
 Hos præstante cibo implesem, farrisque medulla,  
 Sudassent dulces his quoque saxa fauos.

A R G V.

## ARGVMENTVM PSALMI LXXXI.

*Iniuſtos proceres Domini ſermone reprehendit,*

*Flectere qui leges, iuraq; fraude ſolent.*

*Quodq; ſit officium ſynceri Iudicis, aptè*

*Edocet, hoc ſeruet qui ſua ſalua velit.*

DEVS STETIT IN SYNA-  
GOGA DEORVM.

**H**eroum ſi quando coit Synagoga potentum,  
Hos inter medio ſtat Deus ipſe loco.  
Lumine contemplanſ acri, quàm legibus æquis  
Sceptra gerant, populis imperitentq; ſuis.  
Iudicia iniuſtè quoad exercebitis, inquit?  
In precio facies quouſque nocentis erit?  
Dicite iura duces tristes releuantia egenos,  
Et bene pupillis conſuluiſſe inuet.  
Soluite non iuſto tenues, inopelq; reatu,  
A turba miſeros fonte veritate premi.  
Sed loquimur ſurdis, nec habeat pia dicta receptu,  
Luminibus tenebræ, mentibus error inest.  
Veſtro igitur vicio magnæ fundamina Terræ  
Cuncta mouebuntur ſedibus acta ſuis.  
Dixi equidem vos eſſe Deos, ſobolemq; parentis,  
Quo nihil omnino celſius eſſe poteſt.  
Nunc contra abſtractos ſoliis mors æqua nigrantes  
Plebeo coget more, ſubire domos.  
Sors communis erit vobis, trucibusq; tyrannis,  
Quos manet exitium, tartarei q; lacus.  
Tu Domine exurge, & legum moderamina ſume,  
Iuſtitia vt terram, iudicioq; regas.  
Scilicet hæredi-gentes vbicunq; re-poſtæ,  
Se tibi ſubmittent, iuris eruntq; tui.

ARGV.

## ARGVMENTVM PSALMI LXXXII.

*Finitimas gentes cernebat federe pacto,*

*Et populo, & sanctis bella parare locis.*

*Tam valida auxilium contra petit arma, rogatq;*

*Conatus tales ne sinat esse ratos.*

DEVS QVIS SIMILIS ERIT TIBI.

**Q**UË tibi cōtulerim Deus ô, similémue putarim,

Ne taceas quæso, neu cohibeto manus.

Quippe tui en hostes magno insonuere tumultu,

Impiaque extollit turba rebelle caput.

Ecce tuos contra consultauere maligni,

Exitiumque piis qualibet arte parant.

Vocibus vnanimis pariter dixere, venite

Horum perdamus stirpitis omne genus.

Isacidum tota eradamus nomina terra,

Postera progenies ne queat esse memor.

In te iurarunt animis concordibus omnes,

Et simul in fœdus conseruere manus.

Bella mouet ditis numerosus cultor Idumes,

Efferus Ismaël, stirpsque Lothæa Moab.

Hinc Agarena ferox soboles, Gebalaque profecti,

Cumque Ammone potens A malecita manu.

Signa Palæstini sociant, Tyriique coloni,

Auxilio veniunt gens furiata Syri.

Fachis quod Madian, quod dirus Sifara sensit,

Quodque Iabin, cæsi non procul amne Cyson.

Interiere omnes prostrati in finibus Endor,

Vt fimus effecti, stercoreibusque pares.

Hi pereant fato proceres quo tristis Orebus,

Quo Zebæe infelix, Salmana, Zebque duces.

Nil etenim veriti sunt dicere: mētia & urbem,

Et templa, & sacras diripiamus opes.

Vt

Ut rota præcipiti raptentur turbine, fiant  
 Ut stipula infesto mobilis acta Noto.  
 Tristia ut umbrosas vastant incendia siluas,  
 Utque perurenti collis ab igne perit,  
 Sic hos tempestate tui disperse furoris,  
 Iustaque sacrilegum dissipet ira gregem.  
 Vultibus infideat pudor, atque infamia cunctis,  
 Ut quærat nomen territa turba tuum,  
 Erubeant pauidi per sæcula cuncta, ferantque  
 Confusi meritis debita fata suis.  
 Ut domiti ærumnis discant, numeroque malorum,  
 Ex vero Domini nomen inesse tibi.  
 Expertique sciant toto sublimius Orbe  
 Esse nihil quicquam numine posse tuo.

ARGUMENTVM PSALMI LXXIII.

*Ad loca suspirat Solymorum sacra reuerſi,  
 Hosticus infontem mouerat vnde furor.  
 Si quis pertæsus mundi, cælestia mente  
 Appetat, is votis hinc trahat apta suis.*

QVAM DILECTA TABERNACVLA.

**Q**VAM differta placent grato tua templa decore  
 Arbiter armorum, militiæque Deus!  
 Dum subit hæc animam Domini domus, vritur illa,  
 Et desiderio liquitur inde graui.  
 Numina quando Dei viuentis sancta recordor,  
 Cor mihi lætitia soluitur, atque caro.  
 Passer vbi somnum capiat, placidamque quietem,  
 Et sua vbi turtur pignora condat, habet.  
 O tua sæpè meis optata altaria votis,  
 Militiæque potens Rexque, Deusque meus!  
 Felices, excelsa Deus tua templa colentes,

Hi

Hi tua perpetua nomina laude vehent.  
Felix cui donas tali pollere vigore,  
Semper vt ascendens ardua mente petat:  
Donec conuallis tristi tenet obsita fletu,  
Et locus humano qui datus exilio est.  
Talibus affundet pleno sua munera cornu,  
Legis ab ætherea conditor arce Deus:  
Horum corda nouis semper virtutibus aucta  
Crescent, & capient robora firma magis.  
His quoque fas Domini tandem spectare beatos  
In sacra vultus arce Sionis erit.  
Exaudi, Domine ð virtutum, verba precantis,  
Momentumque habeant aure recepta tua.  
Respice me rerum fortis tutela mearum,  
Ad faciem Christi lumina flecte tui.  
Dulcior est lux vna adytis exacta sub istis,  
Quàm transmissæ alibi te sine mille dies.  
Ac magis esse velim Domini contemptus in æde,  
Quàm sceleratorum tecta habitare potens.  
Cara Deo pietas, & vero consona verba:  
Ipse piis veniam conferet, atque decus.  
Sed neque difficilis cuiquam sua dona negabit,  
Qui graditur vitæ labe carentis iter.  
O Domine, omnis cui paret subiecta potestas:  
Felicis titulum, qui tibi fidit, habet.

L

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI LXXXIIII.

*Demonis à vinculis, sauaq; tyrannide tandem  
 Vt genus humanum libera colla gerat,  
 Affore ait, Christus calo cùm missus ab alto,  
 Purgabit letho crimina nostra suo.*

## BENEDIXISTI DOMINE TERRAM TVAM.

**N**Vnc tua, cœlicolûm rector mitissime, tellus  
 Numine lætatur facta beata tuo.  
 Nam facis vt soboles prisca captiua Iacobi  
 Erigat excusso libera colla iugo.  
 Tuque tuum venia populum dignatus, eorum  
 Crimina more pij patris iniqua tegis.  
 Conceptasque tibi posuisti mitior iras,  
 Nec tuus vltorius nos furor ille premet.  
 Nostra salus per opem, miserisque ad pristina verte,  
 Atque odij à nobis vim remoueto tui.  
 Nunquid in æternum propriæ indignabere genti,  
 Aut iras nostrum semen in omne trahes?  
 Quin mage, placatus promissæ dulcia vitæ  
 Dona dabis, populo lætitiãque tuo.  
 Eia tuæ ostendas pietatis quæso vocatæ  
 Signa diu, & nostræ mite salutis opus.  
 Accipiam læta diuinas aure loquelas,  
 Scilicet in plebem nuntia pacis erunt:  
 Inque pios omnes, & qui delicta perosi,  
 Felici redeunt ad sua corda die:  
 Diuinos quicumque animis hausere timores,  
 Hos vultu aspiciet iam propiore salus.  
 Atque erit, vt nostris habiter noua gloria terris,  
 Et nulli visum condito ab orbe decus.  
 Obuia iam pietas fidei passu ibit amico,  
 Iustitia inque vices oscula paxque dabunt.

San-

Sanctus amor veri terris exurget, & ipsa  
 Iustitia è supera proferet arce caput.  
 Appluet & pleno Dominus sua munera cornu,  
 Et multa nostros messe beabit agros.  
 Ille pedes quacunque feret, ius, fasque præibunt,  
 Perque vias gressus eius vbique regent.

ARGUMENTVM PSALMI LXXXV.

*Vt queat in fontem securus ducere vitam,  
 Tutus ab hostili postulat esse manu.  
 Laudibus indulget Domini, affirmatq; futurum,  
 Vt gentes illum totaq; terra colat.*

INCLINA DOMINE AVREM.

**O** Prime cælicolùm Princeps, rerumque creator,  
 A quo fonte salus, & bona cuncta fluunt;  
 Inclina faciles mœstis ploratibus aures,  
 Anxia sollicitæ percipe verba precis.  
 Me miserum infelix, & opis fors indiga vexat:  
 Pauperies nullo fine maligna premit.  
 Ne pigeat dubiæ tutelam sumere vitæ,  
 Viuere me sancta nam ratione vides.  
 Ancipitem proprij famuli defende salutem,  
 Qui nullam nisi te spem modò corde fouet.  
 Respice me, tanti que bonus miserere laboris,  
 Cernis vt vsque tuam vox mea clamet opem.  
 Sollicitæ tribuas animæ solatia nostræ,  
 Ad te nam toto pectore tollor humo.  
 Tu bonus, & clemens, si quis te voce precator  
 Ambiat, & veniæ copia multa tibi est.  
 Auribus has igitur placidis precor accipe voces,  
 Nec renuas animi noscere vota mei.  
 Tempore sæpe graui pressus tua numina adiui,  
 Nec fuit vlla meæ facta repulsa preci.

L 2

Quàm



Quàm tibi dissimilis vanorum turba Deorum est?  
 Nec quisquam factis fecerit æqua tuis.  
 Ergo ad te venient gentes, quascunque creasti;  
 Teque colent, simul & laudis honore ferent.  
 Magnus enim Deus es, mirandorumque patrator,  
 Tu metuenda Dei nomina solus habes.  
 Ut gradiar certo tua per compendia passu,  
 Duc age me, veri signa sequarque tui.  
 Incute iucundos nobis in corda timores,  
 Ut simul & metuam nomen, amemque tuum.  
 Sic Deus alme tibi gratabor pectore toto,  
 Et laudes nostro semper ab ore feres.  
 Quippe tui superant in nobis pignora amoris,  
 Sumque tuo Stygiis munere liber aquis.  
 Me, Deus, aduersum consurrexere superbi,  
 Conspiratque potens in mea fata manus.  
 Ante suos oculos te non posuere, geruntque  
 Corda tui penitus numinis orba metu.  
 Tu pius, & clemens, atque iræ parcus acerbæ es,  
 Et tua summa viget cum bonitate fides.  
 Respice me, miserere mei, da vincere posse,  
 Et confer puero robora iusta tuo.  
 Filius accipiat gratam te dante salutem,  
 Qui genitrice satus de famulante tibi est.  
 Ede notam mihi quæso tui signumque fauoris,  
 Cognitus osori fiat & ille meo.  
 Ut doleat, turpi suffundaturque rubore,  
 Quod mea solatus corda leuaris ope.

A R G V-

## ARGVMENTVM PSALMI LXXXVI.

*Insigni vehitur felix Ecclesia laude,  
 Nam Domini cura hanc, auxiliumq; regit.  
 Hac portis tuta est, stabili hac fundamine firma;  
 Quolibet huc sese multus ab Orbe feret.*

## FVNDAMENTA EIVS IN MONT.

**A** Bramidum nullas Dominus tam diligit arces,  
 Quàm fida portas mente Sionis amet.  
 Illa super sacros iecit fundamenta colles,  
 Inque pia clavis relligione iugis.  
 Magnifica existunt de te præconia Vatum,  
 O Vrbs æterno semper amata Deo.  
 Mente Raab memori, simul & Babylona tenebo;  
 Nominis imbutas agnitione mei.  
 Ecce Palæstini Tyrij, Meroesque coloni  
 Accedent charis hac quoque in vrbe meis.  
 Deque Sione palam tali sermone feretur:  
 Protulit illa viros, protulit illa viros.  
 Et contra casus omnes Altissimus illam  
 Fundauit, valida stare deditque manu.  
 Quando recensabit populos in scripta relatos,  
 Tu quoque principibus aucta legere Sion.  
 Quotquot agunt ciues intra tua mœnia, semper  
 Latantur; festos perpetuantque choros.

L 3 ARGV-

## ARGUMENTVM PSALMI LXXXVII.

*Senserat infesti metuenda pericula morbi,*

*Et sibi iam gelidæ mortis adesse minas:*

*Sed neque ab infidis solatia sperat amicis,*

*Quos gemit arumnis terga dedisse suis.*

*Qui tamen has Christi pugnet magis esse querelas,*

*Me facilem norit partibus esse suis.*

DOMINE DEVS SALVTIS.

**O** Domine atque Deus, nostræ tutela salutis,

En ego te precibus nocte, dieque voco.

Conspectus intrent quæso mea vota sub istos,

Et flectas aures ad mea verba pias.

Namque meam hanc animã cõpleuit tanta mali vis,

Sit mea vt inferno vita propinqua loco.

Sortis ab aspectu nostræ numeratus in illis

Esse queam, stygij quos capit vmbra laci.

Sum velut auxilio si quis desertus ab omni

Inter defunctos luce solutus agat.

Haud secus, exitio quàm quos violenta dedere

Vulnera, & in bustis iam sopor altus habet:

Quorum te penitus secura obliuio cepit,

Eiectique tua qui cecidere manu.

Inferiore lacu statutor, densisque tenebris,

Mortis vbi gelidæ me grauis vmbra tegit.

In me quippe tui superincubuere furores,

Et cuncti fluctus me petiere tui.

Quin dare fecisti notos quoque terga propinquos,

Qui sibi nunc dirum me velut omen habent.

Traditus hostili deueni in vincula dextræ,

Copia quæ sitæ nec datur vlla fugæ.

Ergo nunc inopis soliti periere vigores,

Præque malis oculi deliquere mei.

Hoc

Hoc fuit vt multa te mœstus voce vocarem,  
 Erigeremque meas semper ad astra manus.  
 Num tandem facies illi miracula turbæ,  
 Quæ modò vitali lumine cassa iacet?  
 Num vitæ reddet medicorum cura sepultos,  
 Quo tibi sic laudes vox rediuiua canat?  
 Num tua sub tumuli pietas memorabitur antro,  
 Aut tua in extrema perditione fides?  
 Ecquisnam in tenebris noscet tua facta, cuiue  
 Iustus lethæis esse ferere plagis?  
 Nil tamen è solito quicquam clamore remitto,  
 Quamque sit orta dies, ordiar antè preces.  
 Eheu sed mea cur tam durè vota repellis,  
 Lumina cur quæso huc vertere blanda negas?  
 Me mala pauperies, durique vrsere labores,  
 Ex illo vt primùm tempore ephebus eram.  
 Iamque ego luctificos casus superasse videbar,  
 Et longè victis altior esse malis,  
 Quum subito infelix fortuna turbor ab illa,  
 Ærumnasque fero sicut & antè tuli.  
 Nunc quoque prostratū tua me grauis ira perurget,  
 Percelluntque tui pectora nostra metus.  
 A quibus haud aliter tumidæ quàm fluctibus vndæ  
 Obruor, & cinctus proh sine fine premor.  
 Vnica restabant misero solatia, amici,  
 Quique alij notæ proximitatis erant.  
 Hos quoque fecisti procul hinc absistere, nec iam  
 Deserto auxilium qui ferat, vllus adest.

L 4

A R G V -

## ARGVMENTVM PSALMI LXXXVIII.

*Maieſtas Domini hic extollitur, Omnipotensq̄  
 Virtus, & ſumma cum bonitate fides.  
 Sceptraq̄, Davidis ſtirpi manſura perenni,  
 Chriſte Deus regno vera reperta tuo.*

MISERICORDIAS DOMINI IN  
ÆTERNVM CANT.

**M**ultiplicem Domini pietatem voce fatebor,  
 Et ſtudio nunquam deficiente canam.  
 Quàm tua ſint promiſſa fide ſtabilita tenaci,  
 Me pia poſteritas teſtificante ſciat.  
 Nam mea (dixiſti) conſtans miſeratio in ævum,  
 Æthereoque fides permanet æqua polo.  
 Cum mihi delecta percuffi fœdera gente,  
 Dauidi pactus ſum quoque regna meo.  
 Continuabo ipſi manſuram in ſœcula prolem,  
 Eius & imperij perpetuabo thronum.  
 Ergo tuæ celebrent cœli miracula dextræ,  
 Iure tuam laudet concio ſancta fidem.  
 Ecquidenim tibi ſumme parēs ſuper æthera certet?  
 Quem tibi cœlicolum fas ſit habere parem?  
 Cuius maieſtas ſanctos ſupereminet omnes,  
 Quem circumſtantum pectora cuncta tremunt.  
 An, Deus armipotens, ſeſe tibi comparet vllus,  
 Quem veri cingit gloria vbique comes?  
 Tu maris inſanos compescis numine fluctus,  
 Turbida miteſcunt ventus, & aura tibi.  
 Strauiſti tumidum ceu fractum vulnere Regem,  
 Procubuere tuis viribus hoſtis opes.  
 Et cœli, & tellus tua ſunt; tu conditor Orbis,  
 Eſt & opus, quicquid continet ille, tuum.

Eſt

Est tua veliuolum pelagus factura, creasti  
 Sithonium Boream nimbiferumque Notum.  
 Thabor & Hermonius frondosa cacumina tollent,  
 Exultimque ferent, nomine leta tuo.  
 Nam tibi robusto sunt brachia plena vigore,  
 Ostendunt vires fortia facta tuas.  
 Ne sine quaeso tuæ robur flaccescere dextræ,  
 Fac ut victricem qualibet ora sciat.  
 Sella tui imperij iusto fulcitur, & æquo,  
 Et tibi sancta preit cum pietate fides.  
 O felix istinc quisquis sua gaudia libans,  
 Te canit, & solum pectore & ore gerit.  
 Implicitas errore vias, cæcaque perofus,  
 Collustrante tuo lumine carpet iter.  
 Ille tui admonitu exultabit nominis, obque  
 Iustitiam sumer pectora celsa tuam.  
 Inclyta tu solus virtutis gloria nostræ es,  
 Cornua tollemus munere lata tuo.  
 Tu clypeus noster, defensioque vna salutis:  
 O Rex Isacidum sancte, salusque gregis.  
 Hæc sunt que sanctis quondam prædicta Prophetis,  
 Fecisti euentu vera patere suo.  
 Nam tua vox fuit hæc: Præstantem viribus vnum  
 Auxiliis animus fert cumulare nouis,  
 Et plebe è media sublimi in sede locare,  
 Gestet vbi illustri regia scepra manu.  
 His aptum reperi seruum Dauida fidelem,  
 Tempora cui sacro chrismate tineta linam.  
 Ille erit ille meæ tutus munimine dextræ,  
 Perque mea adiutus brachia fortis erit.  
 Non illi studium neque vis inimica nocebit,  
 Nil rabies in eum, vel furor hostis aget.

Infestas ipso perdam spectante cateruas,  
 Et faciam indecori vertere terga fuga.  
 Hunc mea destituet nūquam pietasque, fidesque.  
 Crescet & auspicio nominis vsque mei.  
 Ipsius imperium ad lati maris vltima tendam  
 Littora, & Euphrates qua celer arua rigat.  
 Temporibus duris patrem me in vota vocabit,  
 Atque Deum, vitæ præsidiumque suæ.  
 Hunc ego natorum primum numerabo meorum,  
 Præque aliis celsum regibus esse dabo.  
 Noster in hunc nullo fauor euanesct in æuo,  
 Quicquid ei pepigi sentiet esse ratum.  
 Per me durabit soboles in secula, & eius  
 Donec erit cælum stabit, & astra thronus.  
 At si venturi spernent mea scita nepotes,  
 Nolentes iussæ carpere legis iter:  
 Si mea calcabunt æquissima iura rebelles,  
 Nec seruare volent quæ facienda tuli:  
 Acribus illorum multabo crimina virgis,  
 Noxiaque immiti verberare terga premam,  
 Sed tamen & pietas Regi mea certa manebit,  
 Cumque ipso pactam non temerabo fidem.  
 Ac neque committā vt mea testamēta prophanem,  
 Neu rata sint labris dicta profecta meis.  
 Per mea conceptis iuravi numina verbis,  
 Nec mendax vnquam verba dedisse ferar:  
 Omnia Dauidi mansurum in tempora semen,  
 Nec fore, qua viuax desinat esse, diem,  
 Vtque mihi semper presens est Phœbus, ab eius  
 Sic solio vultus non remouebo meos.  
 Nec minus ipsius regnum fulgoris habebit,  
 Quam quum plena suo Cynthia in orbe micat.

Quæ

Quæ duo precipuè cœlestia lumina, testes  
 Fœderis esse volo tempus in omne mei.  
 Hæc tua sunt promissa Deus, sed nostra videtur.  
 Heu nimis à tantis fors aliena bonis.  
 Scilicet ista tuum grauis indignatio Christum  
 Reppulit, & nostras spes vetat esse ratas.  
 Istaque cum seruo rupisti fœdera, humilique  
 Proiecta est eius sacra corona tibi.  
 Destructis validas nudasti mœnibus vrbes,  
 Et loca firma prius plena pauore tremunt.  
 Illaque præteriens quibus populatur, & vrgent  
 Finitimi sannis, ludibrioque graui.  
 Adde quod hostiles auxisti robore dextras,  
 Lætificans facta corda inimica tuo.  
 Quid querar & gladiatorum acies per te esse retusas,  
 Quodque nec ipsius prælia, vt antè, iuues?  
 Ecce decus nostrum, & cuncta ornamenta tulisti,  
 Allidens vili regia fulcra solo.  
 Aurea florentis breuiaasti tempora vitæ,  
 Efficimur viles, obruimurque probris.  
 Quo precor vsque tuum perges auertere numen?  
 An tuus ardentis par furor ignis erit?  
 Quàm datus angusti nobis sit terminus æui  
 Esto memor, frustra num tibi factus homo est?  
 Nam quis se tandem morti subducat, & Orci  
 Effugiat patulas præcipitesque manus?  
 Ah pietas vbi prisca tua est? vbi fœdera quondam  
 Dauidi tanta constabilita fide?  
 Seruorum subeant opprobria quæ solo tuorum,  
 Quæ tacito à populis iacta reseruo sinu.  
 Iacta quidè in seruos, sed quæ & tuâ numina tangât,  
 Dum spretor Christi diceris esse tui.

Sed



Sed licet is status est, ea rerum forma mearum,  
Perpete laudandus tu mihi voce tamen.

ARGUMENTVM PSALMI LXXXIX.

*Esse per angustæ nobis data tempora vitæ,*

*Ipsaq; non paucis contemerata malis;*

*Conqueritur Vates, ac mesto deinde precatur*

*Contra tot solitam tristia poscit opem.*

DOMINE REFUGIVM FACTVS ES.

**A** Sobole in soboles, & prisco semper ab ævo,  
Tu nobis portus, confugiumque Deus.

Nondum sustulerant alto se vertice montes,

Nullaque telluris forma feracis erat,

Iam tua ab æterno existebant numina sæclo,

Vtque expers ortus, sic quoque finis eras.

Parua sed ah miseræ nobis data munera vitæ

Attenuas, donec curua senecta premat.

Mox etiam attritos fato consumis acerbo,

In cineresque iubes quemque redire suos.

Ante tuos oculos annorum secula mille,

Sunt velut hesterni tempore lapsa dies.

Vel spatium potius, quod ternas continet horas,

Quo vigil ad portas in statione manet.

Denique si nostros quisquam bene cõparet annos,

Nil nisi delusæ somnia mentis erunt.

Herba sumus quæ mane viret, mox flaccida ab æstu

Languet, & ad noctem torrida falce cadit.

Huc furor accedit tristis tuus, ira que nostræ

Admiscens vitæ rædia multa breui.

Scilicet erratis adhibes præsentia vbi que

Lumina, & occultum pectoris omne vides.

Tum quibus in culpis hoc nostrum defluat æuum,

Luminibus vultus res manifesta tui est.

Heu

Heu miseri feruore tuæ consumimur iræ,  
 Et citius dicto tempora nostra rapis.  
 Quamque leuis fragiles deducit aranea telas,  
 Tam stabilis vitæ est portio nostra parum.  
 Bis septem lustris hominum durabilis ætas.  
 Si quibus est valida, & firma senecta magis,  
 Lustra duo adiiciet, sed duro plena labore,  
 Plena malis, cura denique plena graui.  
 Hac tua nos pietas pœna castigat inertes  
 Mitis, & extremum corripit ante diem.  
 Sed si tanta leues sequitur vindicta reatus,  
 Quam furor in grandes sæuiet iste notas?  
 Ergo quis irarum Deus ô queat illa tuarum  
 Fulmina quo deceat, vimque pauere metu?  
 Quam sit quæso tuæ metuenda potentia dextræ  
 Dum furit, & fontes plectere iusta parat,  
 Ingere pectoribus nostris, crebroque reculca,  
 Quamque habeat paruas hæc quoque vita moras.  
 Notitia hæc vigiles animos Pater optime nostros  
 Efficiet, Sophiæ nec sinet esse rudes.  
 Tetandem placidum nobis aduerte. quousque  
 Durus abes? seruis reddere quæso tuis.  
 Nos precor, idque cito, bonitatis munere lætos  
 Exsatura, luctu tempora nostra leuans.  
 Da liceat reliquum traducere molliter æuum  
 Tristibus ærumnis, atque dolore procul.  
 Quamque fuit sors atra prius, tam læta voluptas  
 Conuersa subeat, permaneatque vice.  
 Respicias famulosque tuos, manuumque tuarum  
 Plasmata, & ipsorum sit tibi cura genus.  
 Nosque tuos splendor felix illustret, opusque  
 Quod faciunt nostræ dirige quæso manus.

A R G V-

## ARGUMENTVM PSALMI XC.

Tutus eris verè, tutoq; pericula spernes  
 Omnia, nec quidquam quod verearis, erit.  
 Si totus, constansq; Dei de numine pendens  
 E celo auxilium, non aliunde, petes.

## QVI HABITAT IN ADIVTORIO.

**A**Vxilio quisquis Domini sic totus inhaeret,  
 Ut contentus eo, nil aliunde petat,  
 Ipsius, æthereas qui nutu temperat oras,  
 Sub dextræ semper tegmine tutus aget.  
 Quin audebit ei secura dicere voce:  
 Tu meus adiutor, præsidiumque meum es,  
 Tu Deus, & tibi me soli concedere certum est,  
 Usque animi spes es firma futura mei.  
 Scilicet eripuit laqueo mea colla doloso,  
 Venantes animam quem posuere meam.  
 Ac mihi non leuiter dextræ medicantis egenti  
 Auxilium in sæua pestilitate fuit.  
 Te quoque, qui Domino constanti pectore fidis,  
 Venerit in dubium si tua fortè salus,  
 Hostibus opposita scapularum proteget vmbra,  
 Ut tegit implumes sedula mater aues.  
 Huius enim pietas clypei te more fidelis  
 Muniet, atque latus claudet vtrumque tuum:  
 Ut neque nocturno possis trepidare timore,  
 Spicula nec metuas missa remissa die:  
 Nec mala in obscuris grassantia cæca tenebris,  
 Nec media incursum luce Acheronte sati.  
 Mille tibi occumbent hostes à parte sinistra,  
 A dextraque cadent millia cæsa decem.  
 Tu procul interea discrimine motus ab omni  
 Stabis, & inter tot funera sospes eris.

Aspi-

Aspicietque malos meritas dependere pœnas,  
Digna que pro factis præmia ferre suis:  
Quandoquidē dixi Domino loca summa tenenti,  
Tu mihi spes omnis, tu mihi asylon eris.  
Ergo nulla tuis accedent tristia rebus,  
Tentabuntque tuam nulla flagella domum.  
Nam dedit Angelicis de te mandata ministris,  
Ad sint custodes vt tibi, quidquid ages.  
Teque suis portent manibus, ne fortè viarum  
Offendant plantas aspera saxa tuas.  
Aspidis infestæ, & basilisci dira nocentis  
Incedens tuto corpora calce premes.  
Fortior indomitum poteris calcare leonem:  
Per victi facies terga draconis iter:  
Nam quia spem sibi me, Deus inquit, fixit in vno,  
Eius ero vindex, expediamque malis:  
Illum ego defendam casu protector ab omni,  
Quippe meum iusto nomen honore colit.  
Auxilium supplex nostrum clamore petiuit,  
Auditas voces sentiet esse suas.  
Dura ferat, præsens astabo dura ferenti,  
Claraque de nostra nomina sumet ope.  
Post vbi longæuis ipsum complero diebus,  
Nostra salutis ei cernere dona dabo.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI XCI.

*Conuenit assiduis celebrari laudibus illum,  
Cuius sunt adeò condita mira manu.  
Hic dabit vt nunquam iusti virtute senescant,  
Seu iuuenes, senio seu veniente graues.*

BONVM EST CONFITERI DOMINO.

**E**T decet, & rectū est Domino persoluere laudes,  
Et decantari Rex tibi summe melos:  
Vulgarique tuam bonitatem solis ab orru,  
Et seræ tempus noctis adusque fidem.  
Ad numeros veniant citharæ tibi fila canoræ,  
Nablaque bis quinos apta referre sonos.  
Scilicet oblectat tua me factura, simulque  
Gestio, quando tuæ conspicio acta manus.  
Quàm Domine est operum ratio admiranda tuorū,  
Quàm sunt consilij sensa profunda tui!  
Attamen insipiens nihil hæc cognoscere curat,  
Nec si mente sequi postulet illa, queat.  
Qui neque florentes herbarum more scelestos  
Oseruat rerum commoditate frui:  
Vt modici spatio fuerint cū temporis vsi,  
Exitio pœnas sine carente luant.  
At tu summe parens omni durabilis æuo,  
Temporis haud vllas experiere vices.  
Contrà autem scelerum paratrix turba peribit,  
Hostibus eueniet mors inopina tuis.  
Interea nostrum cornu extolletur, vt illud,  
Quod solū media bellua fronte gerit.  
Et tua nos pietas tam largo tinget oliuo,  
Sentiat vt florem nostra senecta nouum.  
Lumina quin etiam pascemus læta videndis

Hosti-

Hostibus, incumbet cùm grauis hora meis.  
 Deque viris animo qui nos petiere maligno,  
 Auribus accipiam quod mihi dulce sonet.  
 Iustus ad inuictæ florebit imagine palmæ,  
 Crescet vt in Libano cedrus odora iugo.  
 Inque domo Domini plantati, flore beato  
 Per pia vernantes atria semper erunt.  
 Nulla oberunt ipsis annosæ damna senectæ,  
 Quin valeant fructus multiplicare suos:  
 Vocibus & Dominum recti celebrare tenacem,  
 Mentis & exortem quæ sit iniqua Deum.

## ARGVMENTVM PSALMI XCII.

*Gloria quanta Dei sit, quanta potentia, cuius*

*Extant è nihilo cuncta creata manu:*

*Quodq; nihil mundi, Domino obsistente, tumultus*

*Eualeant, paruo hoc carmine nosse docet.*

DOMINVS REGNAVIT, DECO-  
REM INDVTVS.

**S**Vscepit regnum Dominus, cultusque decoros  
 Induit, & sceptris robora digna suis.  
 Viribus accinxit sese, forti que vigore,  
 Id quod terrarum comprobat orbis opus.  
 Hunc etenim stabilem tam firmo condidit axe,  
 Vis queat omnino vt nulla mouere loco.  
 Iam tibi tunc solium Deus ô regale pararas,  
 Qui prior es quouis tempore, & ante chaos.  
 Flumina nos contra latè insurgentibus vndis,  
 Flumina terrificos mota dedere sonos:  
 Flumina se, fluctusque suos in celsa tulere,  
 Præ cumulo, & multæ vi resonantis aquæ.  
 Mira quidem tumidi pelagi est inflatio, mirus  
 Tu magis, ex alto qui regis ista polo.

M

Addita

Addita tanta tuo fidei sunt pondera verbo,  
 Ut tibi iam pridem credere nemo neget.  
 Condecorasque tuum templum pietate decenti,  
 Quam longi nequeant attenuare dies.

ARGUMENTVM PSALMI XCIII.

*Sit Domino cura miserorum caussa, precatur,  
 Impietas procerum quos violenta premit.*

*Quamq̄ sit illorum mendax sententia monstrat,  
 Qui surdum esse Deum Tiresiamue putant.*

DEVS VLTIONVM DOMINVS.

**P**Raui vltor Dominus, Dominus iustissimus vltor  
 Iræ signa dedit liberiora suæ.  
 Eia age iuste Deus, celsum conscende tribunal,  
 Iudicio cuius subdita paret humus.  
 Ut qui iustitiam fastu spreuere superbo,  
 Congrua te meritis retribuente ferant.  
 Quo siquidē vsq; Deus, quonā quæso vsq; triūphos  
 Impia turba istos tam petulanteraget?  
 Quousque mali tumidas pergent iactare loquelas,  
 Et plaudente suos voce referre dolos?  
 Ecce tuum populum studio afflixere nefando,  
 Et sortem immiti conditione tuam.  
 Nam viduas sæuo peregrinosque ense necarunt,  
 Pupillos nullo more dedere neci.  
 Dixeruntque, oculos Domini facta ista latebunt,  
 Isacidum sensus effugientque Dei.  
 Pars populi vesana animos huc vertite vestros,  
 Et sapite admonitu stulti aliquando meo.  
 Qui capiti patulas aures aptauit, an ille  
 Surdus erit, nullos percipietque sonos?  
 Quique dedit nobis oculos ad luminis vsum,  
 Infelix proprio lumine cassus erit?

Qui

Qui totas gentes pœnis castigat amaris,  
 Non erit, vt vestrum puniat ille scelus?  
 Qui docet humanos animos quæ nosse necesse est,  
 Scilicet is vestrum scire nequibit opus?  
 Haud ita, sed sensus mortalium, & intima nouit,  
 Et vani ipsorum corda quid intus alant.  
 Felix, ô Domine, est tua quem doctrina potenter  
 Erudit, & legis quem tua scita doces.  
 Proderit hæc siquidem res illi tempore duro,  
 Et dabit ærumnis par sit vt ipse suis:  
 Dum fouea iniustis non euitanda paretur,  
 Dum peccatores in sua fata ruant.  
 Quippe suam Dominus nequeat cõtemnere plebē,  
 Nec sortis curam deposuisse suæ;  
 Donec iustitia adueniat iura æqua datura  
 Omnibus, huic comitem se pia turba dabit.  
 Quis surget mecum aggressurus Marte nocentes?  
 Signa quis auxilium contra inimica feret?  
 Nullus adest, nec opem Domini nisi dextra tulisset,  
 Nemo erat à stygiis me tuiturus aquis.  
 Namque vbi dixissem, mihi pes titubare periclo  
 Incipit, & constans non valet esse metu,  
 Protinus, alme Deus, pietas tua dulce iuuamen  
 Attulit, à lapsu continuitque pedem.  
 Quantaque nostrorum fuerat mensura dolorum,  
 Gaudia solatrix tam cumulata dedit.  
 Cum solione putem tibi quid commune scelesto,  
 Vt miseros studio per tua iussa premas?  
 Excipere insidiis iustos, & morte laborant,  
 Infantesque reos impietatis agunt.  
 Sed mihi confugium Dominus, portusque salutis,  
 Spesque meas certa sponte iuuabit ope.



Illorum contrà sceleri sua præmia reddet,  
 Factaque conantes perdet iniqua malos.  
 Hos perdet Dominus concepta feruidus ira,  
 Tam reprobos Dominus non feret esse super.

ARGVMENTVM PSALMI XCIIII.

*Cantari vates Domini iubet in clyta facta,  
 Eiusdem pietas quanta sit, atque fides.  
 Et ne dura patrum, duri quoque corda sequamur  
 Admonet, ingrati qui periere Deo.*

VENITE EXVLTEMVS DOMINO.

**H**Vc agite & lætū Domino celebremus honoré,  
 Iubila saluifico grata sonate Deo.  
 Vultibus ipsius laude occurramus, ei que  
 Certemus festa psallere voce melos.  
 Magnus enim Dominus Deus est, Rex magnus, & ipsi  
 Suppositum longè quicquid in Orbe deum est.  
 Continet ille manu vastæ penetralia terræ,  
 Huic quoque montanus subiacet omnis apex.  
 Ipsius equorei sunt fluctus, condidit illos,  
 Immotum terræ constituitque globum.  
 Ergo venite, Deum veneremur pectore pronò,  
 Fundamus flexo poplite vtroque preces.  
 Oremus Dominum lachrymis humentibus, huius  
 Scilicet authoris fictile plasma sumus.  
 Ipse Deus noster, populus nos eius, ouesque  
 Quas regit vt proprium per sua culta gregem.  
 Quòd si eius vestras ierint mandata per aures,  
 Negligere hos duro corde cauete sonos.  
 Contigit vt quondam, quum seditione rebelli  
 In solis fremerent iurgia acerba locis.  
 Sapius hic vestri me tentauere parentes,  
 Et mea spectarant fortia facta tamen.

Hos

Hos ego commotus, meritaque incensus ab ira  
 Continuo errantes lustra per octo ruli.

Non illos tenuit nostrarum cura viarum,  
 Nosse voluntates nec studuere meas.

Propterea irata iuravi voce, subibit  
 Haudquaquam requiem tam fera turba meam.

ARGUMENTVM PSALMI XCV.

*Que subiecta legis, sic planè scripta loquuntur,*

*Vt Christum nequeas hic dubitare cani.*

*Hoc sub Rege suum pietas caput extulit, orbis*

*Arripuit vera religionis iter.*

*Vana supersticio terras superata reliquit,*

*Sincerisq; dedit cultibus acta locum.*

CANTATE DOMINO CANTI-

CVM NOVVM.

**D**icite mortales summo noua cantica Regi,  
 Cuncta pios Domino concine terra modos.

(Causa subest) dignos illi persoluite cantus,

Laudibus æterni nomina ferte Dei.

Non intermissis memores narrate diebus,

Edere saluificum quod modò venit opus.

Tanta per externas vulgetur gloria gentes,

Perque omnes eius facta stupenda plagas.

Magnus enim Deus, & laudum dignissimus, huius

Numina sunt aliis præmetuenda dijs.

Dæmonia insanæ quid enim fallacia præter

Delusa gentes credulitate colunt?

Porrò quem iusta Dominum ratione fatemur,

Omnipotente polos fecit & astra manu:

Illius ante oculos nitor, & confessio, in eius

Maiestas adytis, sanctaque mundities.

Ergo ferte Deo, gentes, laudemque, decusque,

M 3

Certa-

Certatim festa dicite laude Deum.  
 Tempa subite piis manibus sacra dona ferentes,  
 Et facite ante aras victima digna cadat.  
 Inque sua meritis celebretur cultibus æde,  
 Et resonent sancto vota, precesque loco.  
 Ipsius à facie tellus commota tremorem  
 Contrahat, ingenuos concipiatque metus.  
 Gentibus in cunctis plaudentes dicite, noster  
 Iam victor Dominus debita scepra gerit.  
 Scilicet in melius terrarum rettulit orbem;  
 Nec quicquam deinceps cur moueatur, erit.  
 Ille suis populis iudex, atque arbiter æquus  
 Seruandas leges, & pia iura dabit.  
 Ergo lætitia cæli, tellusque resultent;  
 Assurgat pelagus, quicquid & vnda tegit.  
 Quin sua florigeri testentur gaudia campi,  
 Quicquid & in campis germinis esse potest.  
 Nunc propiore Deo siluarum ligna triumphent:  
 Sospes erit tanto iudice terra suo.  
 Omnia namque reget mortalia iure sub æquo,  
 Inque fide populos non titubante suos.  
 ARGUMENTVM PSALMI XCVI.  
*Regna salutiferi memorat felicia Christi,  
 Qui veniens quatiens numine cuncta suo.  
 Gaudebant iusti super assertore recepto,  
 Et cedent vero numina vana Deo.*  
 DOMINVS REGNAVIT, EX-  
 VLTET TERRA.  
**R**egnauit Dominus, tellus exultet, & omnis  
 Insula lætitie det pia signa sua.  
 Nube latet septus circum, & caligine cæca,  
 Ius basis est eius, iudiciumque throni.

Ante

Ante ipsum torrens ignis præcedet, & hostes  
 Circundans flamma depopulante coquet.  
 Fulgura sollicitum latè micuere per orbem;  
 Vidit terra, graui contremuitque metu.  
 Fluxerunt montes ceræ de more liquentis;  
 A vultu Domini paut & omnis humus.  
 Pignora iustitiæ ipsius cæli ampla dedere,  
 Et patuit populis omnibus eius honos.  
 Vah pudeat, turpem que trahat gens ore pudorem,  
 Sculptile quæ colit, & cui sua saxa placent.  
 Cælicolæ volucres animæ reuerenter adorent,  
 Et cultu Dominum conueniente colant.  
 Auribus hæc sacræ sunt exaudita Sionis,  
 Cauſsæque lætitiæ res ea facta nouæ est.  
 Gestit hinc etiam pariter Solymæa propago,  
 Iustitia gaudens magne monarcha tua.  
 O qui terrarum superas altissima, quàm sunt  
 Numina numinibus cuncta minora tuis.  
 Iam quicumque pio Domini flagratis amore,  
 Criminis exofas omnis habete notas.  
 Huic etenim cura est animas seruare piorum,  
 Hostili que suos eripuisse manu.  
 Munere iucundæ lucis perfundit eosdem,  
 Corda que lætitia perpete recta beat.  
 Ergo pij gaudete Deo, memores que referte,  
 Quàm varia sanctum se bonitate probet.

M 4

ARGV-

ARGUMENTVM PSALMI XCVII,  
 Hic quoque venturi presago carmine Christi  
 Regna refert, iusta regna tenenda manu.  
 Recturum in melius mutatis legibus orbem,  
 Par esse hunc igitur quolibet ore cani.

CANTATE DOMINO CANTI-  
 CVM NOVVM.

**I**nsoliti generis Domino depromite cantus,  
 Cuius sunt forti mira peracta manu.  
 Scilicet hac vsus sola, sanctoque lacerto,  
 Illustri populos saluificauit ope.  
 Dona suæ exhibuit Dominus manifesta salutis,  
 Iustitiam in gentes protulit vsque suam.  
 Non fuit oblitus solitæ pietatis, & omnem  
 Præstitit Ifacidis quam dedit ore fidem.  
 Nullus in immenso reperire est terminus orbe,  
 Cui non sit nostri visa Dei alma salus.  
 Iubila terrigenæ Domino date læta canentes,  
 Psallite, & interea pes quoque plangat humum.  
 Psallite pulsatu citharæ, fidibusque canoris  
 Adjungat modulos vox quoque viua suos.  
 Ductilibus resonate tubis, lituosque recuruos  
 Inflata, & latùm cornua rauca sonent.  
 Ante oculos atque ora Dei date iubila Regis,  
 Cumque suis reboët piscibus omne salum.  
 Latitia totus terrarum gestiat orbis,  
 Quicquid & immenso continet ille sinu.  
 Flumina cõplaudant manibus, montesque resultent  
 Præsentis studio conspicuique Dei.  
 Terrarum siquidem censuram iustus obibit,  
 Et populis æqua ius ratione dabit.

ARGY-

## ARGUMENTVM PSALMI XCVIII.

*Aetheri pietas, ingensq; potentia Patris*

*Hinc patet, at Christum mystica sensa notant:*

*Cuius regna canit totum celebranda per Orbem*

*Crescenti obsistat gens inimica licet.*

DOMINVS REGNAVIT,

IRASCANTVR.

**R**egnū adiit Dominus, iamq; Orbis sceptrā rece-  
 Conscia ringatur non bene turba sibi. (pit,  
 Iura dat ille polo, & Cherubinis infidet alis,  
 Terricolæ causam cur moueantur, habent.

Quem colit alma Sion Deus est sublimis, & ingens,  
 Ipse regit cunctos, & ditione tenet.

Ergo tuum iusto nomen celebretur honore,

Quo nihil in rebus grandius esse potest.

Terribile est etenim nomen, neque sanctius vllum,

Quodque sit à toto dignius Orbe coli.

Vt tua Rex valida est maiestas, sic quoque curam

Nulla non sancti tempore iuris habet.

Plenaque perpetuo recti tua iussa fuere,

Iustitiaque regis, iudicioque Iacob.

Laudibus hunc nostrū Dominū exaltate, Deumq; ,

Eius adorantes sancta scabella pedum.

Sacrifici ipsius Moses memorantur, & Aron,

Et Samuel cultor nominis eius erat.

Rebus in angustis Dominum si voce rogarant,

Senserunt precibus numen adesse suis.

Nube latens tereti responsa ferebat, at illi

Pectora responsis obsequiosa dabant.

Præbebas te ipsis facilem Deus, atque fauentis

Blanda dabas animi pignora multa tui.

Quisquis mente nefas contra hos conceperat, huius

M 5

Impia

Impia plectebas vindice cepta manu.  
 Tollite laude pia nostrū Dominūque, Deūque,  
 Inque Sionæis concelebrate iugis.  
 Omni namque fuit longè sanctissimus æuo,  
 Talis & haud vlla delinet esse die.

ARGVMENTVM PSALMI XCIX.

*Nos qui dante Deo vitales carpinus auras,  
 Eius & è larga munera tanta manu:  
 Laudibus, atque hymnis ipsum celebrare iubemur:  
 At nil nostra minus, prò pudor, ora sonant.*

IUBILATE DEO OMNIS TERRA.

**I**ubila clara Deo, claros depromite cantus,  
 Terrigenæ toto quà patet orbe locus.  
 Nunc animis læti Domino seruite, sub eius  
 Conspectum festis passibus ire iuuet.  
 Hunc, ô hunc scitote Deum, nos ille creauit,  
 Nec propriæ nostri caussa fuere manus.  
 In populum sibi nos miro delegit amore,  
 Nos sua tonsuras pascua legit oues.  
 Ergo Deo laudes iuuenes iterate, senesque,  
 Cumque hymnis sacræ limen adite domus.  
 Ipsius festa celebretis nomina laude,  
 Debita tam suauis quis neget ista Deo?  
 Æternum cuius miseratio durat in æuum,  
 Dictorumque fides tempus in omne tenax.

ARGV.

## ARGUMENTVM PSALMI C.

*Hic dignos vero describit Principe mores,  
Sceptraq; quo deceat credita ferre modo:  
Se quoque perpetuo victurum tempore talem,  
Si promissa sibi regna tenere queat.*

MISERICORDIAM ET IVDI-  
CIVM CANTABO.

**F**ert animus iustum cantu celebrare, piumque,  
Et Domine in laudes soluere verba tuas.  
In fontem meditor vitam, si cœpta secundans  
Accedas nobis, quando sed istud erit?  
Taliter ipse meæ medio versabar in ædis,  
Notus ut innocua simplicitate forem.  
Non fuit, ut vellem mihi rem proponere iniquam,  
Odi aulos leges contemnerare tuas.  
Nec mihi cor prauæ studiosum fraudis adhæsit,  
Sit precor hinc semper, cui placet illa, procul.  
Partibus à nostris si declinat iniquus,  
Hunc dedignatus cognitione fui.  
Absentum solitus verbis incessere famam,  
Correptus nobis duriter ille fuit.  
Quos aut fastus habet, vel opum infatiata cupido,  
Hos mensæ socios rennui habere meæ.  
Porro libens oculis vidi quos terra fideles  
Educat, & mecum posse sedere dedi.  
Tum quibus innocuæ calcatur semita vitæ,  
Illa ministerio turba sit apta meo.  
Sunt qui nil metuant linguis fraudare dolosis,  
Talibus est nostræ ianua clausa domus.  
Sed neque qui insuerunt verbis mendacibus uti,  
Luminibus sperent posse placere meis,  
Perqui-

Perqui-



Perquirens fontes surgebam lumine primo,  
 Atque neci, tulerat quos mea terra, dabam.  
 Scilicet vrbe Dei sceleratam excindere gentem  
 Cura erat, & solitos ferre ad iniqua manus.

ARGVMENTVM PSALMI CI.

*Hic fundit lacrymas, & verba precantia Vates,  
 Et mitem voto supplice postcit opem.*

*Qualem quisque sibi miseranda sorte laborans  
 Postulet, & rebus optet adesse suis.*

*Insuper obscuris signans ambagibus, olim  
 Venturi Christi regna beata canit.*

DOMINE EXAUDI ORATIO-  
 NEM MEAM.

**E**Xaudi quas fundo Deus tristi ore querelas,  
 Mœsta que clamoris suscipe verba mei.  
 Nec precor hinc placidos vultus auerte, laborat  
 Dum mea flebilibus vita agitata malis.  
 Huc te digneris flexu inclinare benigno,  
 Sumere & admota supplicis aure preces:  
 Lenis ades, precibusque faue quo tempore in arctis  
 Rebus ago, celerem ferque vocatus opem.  
 Nam velut æthereas fumus difflatur in auras,  
 Tempora sic vitæ lapsa abiere meæ.  
 Inque modum terris validus quem coxerit ardor,  
 Cuius & admoto cessit ab igne vigor,  
 Arida tabescunt exhaustis ossa medullis,  
 Nulla que iam succi signa rigantis habent.  
 Gramina ceu nimio languent exusta calore,  
 Mens mea sic rapidis æstibus ægra iacet.  
 Nulla prope vt subeat potus mihi cura, cibi que,  
 Ad stomachum faciat cœna nec vlla meum.

Hei

Hei mihi, continuo sic feruent pectora luctu,  
Ut mea vix tenuis contegat ossa caro.  
Auiam sum similis pelicano obscura colenti,  
Et similem vitam nycticoracis ago.  
Peruigilo noctes, & sum modò passeris instar,  
Qui loca in vmbroso culmine sola colit.  
In me etiam totis iaciuntur probra diebus,  
Aggrauat & luctus hostica sanna meos.  
Quique prius titulis me, & amica laude vehebant,  
Mutati iurant in mea damna simul.  
Propterea cineres nobis pro pane fuere,  
Hinc mea sunt lacrymis pocula mista meis.  
Scilicet hæc meritis tua nostris ira rependit,  
Vindicis agnosco tela profecta manu:  
Tu me nempe leuas, sublaturumque abiicis alto,  
Collidar lapsu quo grauiore cadens.  
Hinc mea vita velut tenuis disparuit vmbra,  
Totaque, ceu fœnum, est arida facta caro.  
Tu Deus vsque manes, nullo mutabilis æuo,  
Victurumque omni tempore nomen habes.  
Exurgens igitur tandem miserere Sionis,  
Huius enim tempus iam pietatis adest.  
Illius exoptat lapides te dante videre,  
Quam regis imperio subdita turba tuo.  
Sit quanuis facies vrbs tristissima lapsæ,  
Reliquiisque tamen, pulueribusque fauet.  
Tunc latè metuent gentes tua nomina, & ista  
Gloria terrori Regibus orbis erit.  
Nempe Sionæas Dominus quia construet arces,  
Maiestate sua conspiciendus erit.  
Adspicietque humili missas de corde querelas,  
Nec dura fusas respuet aure preces.

Tam

Tam bona scribentur, norint vt lecta nepotes,  
 Gensque feret merita laude futura Deum.  
 Nam pius excelso prospexit ab æthere terras,  
 Difficili pressis mole daturus opem.  
 Quò captiuorum gemitus audiret acerbos,  
 Et morti addictos nexibus eriperet:  
 Vt Domini nomen celebrent in monte Sionis,  
 Et Solyma laudes eius in vrbe canant:  
 Quando conuenient populi, Regesque potentes,  
 Vt Dominum sancta religione colant.  
 Corporis interea tenuauit robora nostri,  
 Et paucos fecit mî superesse dies.  
 Ne Deus in medio vitæ me tolle, tuorum  
 Annorum nullo tempore finis erit.  
 Principiò solidæ fundasti pondera terræ,  
 Altaque sunt manibus sidera facta tuis:  
 Cælorum series mota compage peribit,  
 Tu, per cuncta manens sæcula, fine cares.  
 Quin etiam cunctis veniet damnosa vetustas,  
 Vt per longa perit tempora vestis honor.  
 Hosque laboratum tanquam mutabis amictum,  
 Nec speciem poterunt vsque tenere suam.  
 Semper es haud vlllo casu mutabilis idem,  
 Inuadetque annos nulla senecta tuos.  
 Læta tuis soboles seruis ventura manebit,  
 Cuius perpetuò stirps quoque sospes erit.

A R G V.

## ARGVMENTVM PSALMI CII.

*Quanta sit ætherei bonitas, studiumq; parentis*

*In mortale genus signa per ampla docet:*

*Seq; pioſq; omnes vrget terraq; poloq;*

*Ne tacita eſſe Dei tot benefacta ſinant.*

## BENEDIC ANIMA MEA DOMINO.

**I**N Domini laudes animæ vis intima noſtræ

Soluere, non ſolui tam bona cauſſa vetat.

Quæ mea cunq;e intus vegetatis corpora vires,

Eius honorificis nomina ferte ſonis.

Incipe promeritas Domino perſoluere grates

Mens mea, & auctori dic pia verba tuo.

Ne, caue, te ſubeant obliuia cæca bonorum,

Munifica tribuit quæ tibi cunq;e manu.

Qui tibi propitiuſ lapſuſ condonat iniquoſ,

Qui tua præſenti vulnera ſanat ope.

Qui te ſurripuit nigri de faucibus Orci,

Vndique qui circum te bonitate tegit.

Qui, donis explens largè tua vota beatiſ,

Vt poſſis vltra nil cupiſſe, facit.

Qui tua primæuæ renouans iam fracta iuuentæ

Robora, flammigeræ more reformat auis.

Oppreſſoſ Dominuſ pietatem exercet in omneſ,

Nec patitur quemquam iuſtuſ iniqua pati.

Ipſe ſuaſ leges docuit, præceptaq;e Moſen,

Et placita Iſacidas, conſiliumq;e ſuum.

Ad veniam velox, vlticem lentuſ ad iram eſt,

Et tituluſ multa de pietate trahit.

Non iras hominum ritu producit in æuum,

Èſſe nec inſueuit tempuſ in omne minax.

Non meritiſ æquat pœnaſ, multoq;e minoreſ

Crimina cenſuram quàm mereantur, agit.

Terra

Terra loci positu quàm cælo dissidet alto,  
 Maximus in iustos tam patet eius amor.  
 Quàm procul occasus spatio disiunctus ab ortu est,  
 Tam procul à nobis crimina nostra tulit.  
 Adde quod in natos patrum clementia quanta,  
 Tanta in eos Domini est, quos timor eius habet.  
 Nouit enim plastes, nos quales finxerit olim,  
 Quodque aliud simus nil, nisi puluis iners.  
 Tota hominis vita, est prati velut herba virentis,  
 Quam secat incurua rustica falce manus.  
 Utque agri non longa virent per tempora flores,  
 Sic breuis humanum contrahet hora decus.  
 Nempe cadunt victi, simul ac perflauerit illos  
 Eurus, & ignores quem tenuere locum.  
 At Domini pietas in eos perdurat in æuum,  
 Numina sollicito qui sua corde timent.  
 Iustitiæque fides eius de prole feretur  
 In prolem, inde pium rursus in omne genus  
 Horum, qui sic pacta eius, mandataque seruant,  
 Ut memores ea sint per pia facta sequi.  
 Ipse sibi ætherea solium firmavit in arce,  
 Vnde regat toto quidquid in orbe viget.  
 Hunc ergo Angelicæ mentes virtute potentes  
 Certatim merita tollite laude Deum.  
 Cuius vbique sequi voces, & iussa soletis,  
 Et facere, vt plenum, quod velit, extet opus.  
 Magnificate Deum cælorum exercitus omnis,  
 Turba ministerij facta subire vices.  
 Laude creaturæ vestrum celebrate parentem,  
 Ipsius imperij quo patet vsque locus.  
 Te verò in primis, animæ vis intima nostræ,  
 Eiusdem laudes sit tacuisse nefas.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI CIII.

*Hic legis eximium Domini omnipotentis honorem,*

*Ipsius & laudes, dignaq; facta cani.*

*Quippe potente manu calum, terramq; fretumq;*

*Condidit, & miro dirigit illa modo.*

## BENEDIC ANIMA MEA DOMINO.

**O** Anima æterno dic debita carmina Regi,

Ipsius & laudes, & decus omne refer.

Maiestas etenim claro plenissima honore,

Mi Deus, haud vllum continet ista modum.

Inclita nam circum te laus, & gloria vestit,

Proque tuo immensum tegmine lumen habes.

Qui potes vt pellem liquidum distendere cælum,

Circumtecturas in super addis aquas.

Nubibus vt curru celeri vectaris, & alis

Vadentem zephyri te per inane ferunt.

Qui facis esse tuos ventorum flabra ministros,

Igneaque æthereo fulmina missa polo.

Qui confirmasti stabili fundamine terram,

Ne queat incerta mobilis esse basi.

Hanc maris immensi ceu veste profunda tegebant,

Suppositusque feris mons erat omnis aquis.

Vox tua vt increpuit, celeri fugere recessu,

Et velut à tonitru contremuere tuo.

Cernere erat montes pulsus exurgere lymphis,

Et sensim nudum tollere ad astra caput.

Tunc quoque paulatim visæ descendere valles,

In loca ab imperio constabilita tuo.

Hinc pelagus, vetitum positos transcendere fines,

Cuncta cauet fluctu mergere, vt ante, suo.

Educis fontes imis conuallibus ortos,

N

Qui

Qui montes inter flumina facta secant,  
 Vnde sitim sedent sparsum pecus omne per agros,  
 Vnde Onagri fauces, oraque sicca rigent.  
 Desuper arguto mulcentes aëra cantu,  
 Frondibus in mediis nidificastis aues.  
 Perfundis montes actō de nubibus imbre,  
 Fit grauis hinc fructu munere terra tuo.  
 Pabula submittens iumentis apra cibandis,  
 Humanisq̄ue ferens vtile rebus olus.  
 Ut panes homini, frugumq̄ue alimenta supersint,  
 Mestaq̄ue consuetum corda leuare merum.  
 Utq̄ue hilari tristes vultus reparentur oliuo,  
 Atque hominum firmet pectora panis adeps.  
 Supperit hinc siluis humor suus, arboribusq̄ue,  
 Et Libani, seuit quas tua dextra, Cedris.  
 Hic volucres nidos, & grata cubilia ponunt,  
 Quæq̄ue duces aliis sunt Diomedis aues.  
 At Ceruis montes, & in his caua tecta dedisti,  
 Saxa q̄ue vbi lateat tutus Echinus habet.  
 Congrua fecisti signantem tempora Lunam:  
 Phœbus & occiduum te duce carpit iter.  
 Tu tenebris celum infuscas, noctemq̄ue reducis,  
 Tum fera prorepat quæ timet ire die.  
 Mox Leo terrificus magno ferit astra rugitu,  
 Teq̄ue Deum rogitat; quo licet ore; cibos.  
 Nox abiit, rebusq̄ue diem Matura reduxit,  
 Turbaq̄ue prædatrix in sua lustra redit.  
 Continuo hinc hominū feruent curæ, atque labores,  
 Dum tenebris iterum cesserit acta dies.  
 Quàm Domine excelso constant tua cuncta paratu,  
 Omnia consilio quàm sapiente facis?  
 Quicquid vbique viget rerum, tua dextra creatrix  
 Edidit,

Edidit, est opibus terra referta tuis.

Æquora quid memorem spaciis amplissima, quidue

Longa per immensos brachia flexa sinus?

Illic reptilium numerus, quem dicere non est,

Cernitur, inque illis magna, pusilla simul.

Hac vagus innumeras traducit nauta carinas,

Lusibus hic Cete corpora vasta mouent.

Te Pater expectant cuncta hæc, alimenta que vitæ

Tempore vt accipiant conueniente, petunt.

Ergo cibos te dante legunt, dextramque benignam

Expandente, tua se bonitate replent.

Abdideris faciem, flatumque retraxeris alium,

Intereant, cineres mox repetantque suos.

Aspires rursus flamen genitabile, rursus

Omnia succrescent, & renouaris humum.

Artificis tanti per secula cuncta perennet

Gloria, & ipse suum diligat author opus.

Cuius ab aspectu vel solo exterrita tellus

Signa repentini dat tremefacta metus.

Contigerit montes, contactu è vertice fumus

Præsto erit, haud vlla prosilietque mora.

Hunc cantu celebrabo Deum dum vita manebit:

Hunc ego, donec ero, laudibus vsque colam:

Atque vtinam ipsius gratæ referantur ad aures.

Certè animi ille mei gaudia solus erit.

Deficiant porro quibus est peccare voluntas,

Nec valeant vlllo nomen habere loco.

Stirpitis iniusti pereant, vt nemo supersit:

At mea mens iugi tollito laude Deum.

N 2.

A R G V-



## ARGUMENTVM PSALMI CIIII.

*Ad laudes Domini Isacidas hortatur, & eius  
Maxima ab Abrami tempore facta refert.*

*Facta quibus genti studium monstravit amate,  
Donec promissos ingrederetur agros.*

CONFITEMINI DOMINO ET INVOCATE.

**Q**uicolitis Dominū, Domino date carmina ve-  
Nominaq; immēsi voce ciete patris. (stro,

Per cunctos populos, cunctas memorate per oras

Inclyta diuinæ & maxima facta manus.

Laudibus hunc celebrate suis, hūc psallite, quamq;

Mirandis faciat cuncta referte modis.

Quisq;ue sacro lætus Domini se nomine iactet,

Lætentur quibus est quærere cura Deum.

Quærite solliciti Dominum, & persistite, vultum

Ipsius iugi poscite, & ora prece.

Succurratq;ue æuo quanta is portenta priori

Ediderit, populo qualia iura suo.

Alloquor Abrami vos claro semine cretos,

Progeniemq;ue Deo chare Iacobe tuam.

Ille Deus noster certè est, Dominusq;ue potenti

Iustitia terram, iudicioq;ue regens.

Mente suum memori promissum semper habebit,

Pactaque quæ durent secula mille, dedit.

Nam sua Thariadæ sanciuit fœdera primum,

Sed memor Isaco postmodo sanxit idem.

Constituitq;ue velut legem seruare Iacobo,

Perq;ue eius rotum continuare genus.

Auspice me dixit Chananeia regna subibis,

Vtq;ue tuæ sortis terra sit illa dabo.

Quumq;ue forèt pauci numero, peregrinaq; turba,

Per regna & gentes per populosq;ue vagans:

Non

Non tamen est quemquã turbæ dare damna pusillæ  
 Passus, ob hanc reges corripuitque feros.  
 Edixit, nolite meos contingere Christos,  
 Nec mala feceritis vatibus vlla meis.  
 Iamque famem longam latè missurus in Orbem,  
 Nullaque triticeis farra daturus agris,  
 Ante virum ad Pharios seruum præmisit Ioseph,  
 Inuida quem fratrum vendere turba tulit.  
 Quo postquam aduenit, clauserunt carcere iniquo,  
 Duraque in immeritos vincla dedere pedes.  
 Peressus ferrum est animi penetrabile, donec  
 Somnia monstrarent rite soluta virum.  
 Scilicet eloquium Domini succenderat ipsum,  
 Nossset vt afflatu vaticinante loqui.  
 Rex igitur misit qui insontem solueret arctis  
 Compedibus, domui præposuitque suæ:  
 Nec mora, præficiens regno omni, credidit illi  
 Quas tum Niliacas cunque regebat opes.  
 Vt proceres princeps Sophiæ præcepta doceret,  
 Qualia ab æthereo numine doctus erat.  
 Vtque senes iuuenis prudenti viuere norma,  
 Et sapere annosos recta moneret auos.  
 Hoc moderante sua genitor cum gente Iacobus  
 Intrauit Chameos aduena diues agros.  
 Auxit eum Dominus fecunda prole, deditque  
 Hostibus hac etiam dote præire suis.  
 Ergo animis mutati ipsos odere, deinde  
 Cæpere immani perdere velle dolo.  
 Donec eò Dominus Mosen cum fratre ministros  
 Mitteret annosi soluere vincla iugi:  
 Edere signa quibus tribuit miranda, simulque  
 Prodigiiis totam terrificare Pharon.

Nam per eos tenebras telluri immisit inertes,  
 Euentumque suas fecit habere minas.  
 Cęruleas tetro mutauit sanguine lymphas,  
 Corrupto immisit piscibus amne necem.  
 Hoc authore dedit ranas quoque terra palustres,  
 Quę se in regales inseruere toros.  
 Aduolitant muscę glomeratim, insecta que turba,  
 Et cyniphes cunctis obstrepuere locis.  
 Pro pluuia horrendos deiecit grandinis imbres,  
 Fructiferosque vago fulmine aduffit agros.  
 Percussit vites, ficumque ferentia ligna,  
 Stirpibus importans arboribusque luem.  
 Iusserat, inuadunt iussę loca cuncta locustę,  
 Inde vorax bruchus, nec numerandus adest.  
 Gens ea consumpsit fęnum quodcunque superstes  
 Manserat, exhaustis cuncta vorauit agris.  
 Vltima restabāt hominum, pecudumque per omnes  
 Ipsorum terras pignora prima necat.  
 Ergo vbi dilecti Pharaonem funere nati  
 Perculit, inmensis edomuitque malis,  
 Ifacidas plenos argento eduxit, & auro  
 Inter eos agro corpore nullus erat.  
 Ictā igitur tantis ea gens terroribus, illos  
 Finibus ac terris gaudet abire suis.  
 His Deus ardores arcebat nube diurnos,  
 Monstrabat noctis tempore flamma vias,  
 Poscenti populo venit peregrina coturnix,  
 Addita celestis copia panis erat,  
 Marmora dissecuit, fuderunt marmora lymphas,  
 Currere per siccam flumina fecit humum.  
 Quippe quod Abramo pepigit Pater ille benignus,  
 Immemor haud poterat fęderis esse sui.

Ergo

Ergo suos Dominus letos eduxit, & agmen  
 Omne exultanti pectore carpsit iter.  
 His vrbes & agros donat, fructusque laborum,  
 Quas tum gentilis natio habebat opes.  
 Vt gratis animis ipsius iussa capebant,  
 Quamque tulit legem sedulitate colant.

## A R G V M E N T V M P S A L M I C V .

Gens propriis abducta focis, captiuamq; plorat,  
 Seq; Dei ad laudes excitat ipsa sui:  
 Mirificum hunc celebrat, sua sed delicta, patrumq;  
 Arguit, & patrias supplicat ire domos.

C O N F I T E M I N I D O M I N O Q V O -  
 N I A M B O N I S .

I Ngentem bonitate Deum celebrare frequentes,  
 Nomina perpetuæ nam bonitatis habet.  
 Omnipotens cuius bonitas per cuncta perennat  
 Secula, postremum non habitura diem.  
 Quis validas eius vires, & fortia facta  
 Explicet, aut laudes prædicet ore satis?  
 Felix, ô quisquis iusti seruator & æqui est,  
 Quoque vocant leges, iugiter illa facit.  
 Qua charis pietate faues, me respice queso,  
 Et memor allata vise salutis ope:  
 Vt pia participem genti data munera amata,  
 Gaudiaque experiar cum grege læta tuo.  
 Vt simul ipsorum sociem mea carmina voci,  
 Quos fortis priuæ contigit esse tuæ.  
 Peccauere patres, & nos exempla sequuti  
 Egimus iniuste, & fecimus æqua parum.  
 Contempsere tuæ ingrati miracula dextræ,  
 In Pelusiæ facta potenter agris.

Quamque tua indulgens fuerit clementia in ipsos,  
 Immemores animis non tenuere suis.  
 Namque iter ingressi rubri prope gurgitis vndas,  
 Peccando iustam promerere necem.  
 Sed ne obscura tui maiestas nominis esset,  
 Perspectum posset robur ut esse tuum:  
 Vndas diuisit bonitas tua, perque reductos  
 Fluctus innocuis passibus ire dedit.  
 Hac duce per medias populus transiuit abyssos,  
 Arida ceu mos est per loca ferre gradum.  
 Eripuit lætos odiis, dextrisque furentium,  
 Nec tulit infestos posse nocere viros.  
 Pontus enim rediens ingressas littora turmas  
 Obruit, & fluctus iunxit vtrimque suos.  
 Agmine de tanto nulli euasere, sed omnes  
 Reflua purpurei perdidit vnda freti.  
 Tum demum Isacidæ diuinæ credere voci,  
 Et seruatorem tollere laude suum.  
 Sed cito ab officio immemores cessere, Dei nec  
 Consilij iustas sustinere moras.  
 Nam mox illicita cepere cupidine ferri,  
 Desertis carnes dum petiere locis.  
 Annuerat votis Deus, illi optata tulere,  
 Donec plena dati nausea oborta cibi est.  
 Post hæc consiliis nihilo melioribus vsi,  
 Agminis exagitant seditione duces.  
 Scilicet in Mosen surgunt, Aronaque contra,  
 Hic gereret munus pontificale licet.  
 Mox dirupta vorat Dathanque Abironaque tellus  
 Cum sociis, causæ seditionis erant.  
 Coniurata cremant etiam collegia flammæ,  
 Pingua tractantum non bene thura virum.

Quin

Quin & conflati speciem coluere iuuenti,  
 Vertice qua cælo tollitur altus Oreb.  
 Mutauere suum decus immortale figura  
 Herbida consueti carpere prata bouis.  
 Illius immemores à quo per multa redempti  
 Miraque Niliaco signa fuere iugo.  
 Quem noua patrantè Chameas stupuere per vrbes,  
 Extimuerè rubri stagna profunda freti.  
 Exitio ergo Deus cunctos delere parabat,  
 Mollita à Mosis ni foret ira prece:  
 Cadibus opposuit sese, iustoque furori,  
 Ne totum obtereret cælica dextra gregem.  
 Oprandam nihili terram duxere, fidemque  
 Indociles summo non habuere Patri.  
 Quin sua turbarunt iterato castra tumultu,  
 Numinis audentes spernere verba sui.  
 Ira Deo rursus mota est, dextramque leuarat,  
 Turba erat in solis interitura locis:  
 Mensque erat ingratum per gentes spargere semen,  
 Fundere & abiectum per peregrina genus.  
 Namque etiã ad culpas scelus hoc iunxere priores,  
 Vt Baalo auderent se sociare Phegor:  
 Stultaque vanorum commandere sacra Deorum,  
 Nulla quibus penitus vita subesse potest.  
 His studiis superum proritauere parentem,  
 Hinc simul ipsorum est aucta ruina magis.  
 Donec correptus zelo fortissimus vltor  
 Commissum Phinees puniit ense nefas.  
 Frenauitque manum Domini, & compescuit iras,  
 Ne populum vltèrius caderet ipse suum.  
 Hoc illi facinus cunctisque nepotibus eius  
 Eterno decori iustitiæque datum.

N 5

Ad

Ad latices iterum (dedit his contentio nomen)  
 Murmure turba furit moribus vsa suis.  
 Propter eos Moses sensit quoque numinis iram,  
 Fecerat ancipitem nempe ea rixa virum;  
 Ne posset liquido Domini præcepta referre  
 Ad populum, memori nec satis ore loqui.  
 Ergo nec gentes vastarunt funditus illas,  
 Quas Deus exitio iusserat ante dari.  
 Quin magis admixti ritus didicere scelestos,  
 Illarum que sequi non timere scelus.  
 Sculptilibus statuis cultus tribuere Deorum,  
 Hæc populi demum magna ruina fuit.  
 Nam sua Auernicolûm templis mactanda tulere  
 Pignora, & indignis imposuere rogis.  
 Innocuo maduit tellus perfusa cruore  
 Hoc quem natorum turba perempta dedit.  
 Idolis Chanaan pueri cecidere sacrati,  
 Terraque ab infanti sanguine tincta fuit.  
 Sanguine sedarunt terram, studiisque nephandis,  
 Promissamque Deo prostituere fidem.  
 Hinc ille in populum furiata incanduit ira,  
 Et penitus sortem horruit ipse suam.  
 Tradidit infestis vexandos hostibus illos,  
 Hostilis miseri fræna tulere manus.  
 Sedibus abductos duri afflixere tyranni,  
 Attritoque graui supposuere iugo.  
 Post tamen auxilio hos Dominus de more leuauit,  
 Et placida à sæuo sustulit hoste manu.  
 Mox sed ad ingenium faciles rediere, malisque  
 Consiliis iras promeruerunt nouas.  
 Tamque graues scelerum penas subiere suorum,  
 Hostibus vt viles, spreteque turba forent.

Quod

Quod rursum aspiciēs Dominus, miti aure precātes  
Audiit, offēsas deposuitque suas.

Quippe erat antiqui promissi haud immemor, eius  
Abrameo quod cum semine pactus erat.

Vtque piæ largus veniæ est, multusque remissor,  
Ignouit culpis, indoluitque malo.

Fecit vt hostis eos etiam miseranter haberet,  
Qui captos patriis egerat ante focus.

Adtere nos Deus, & reuoca de gentibus omnes,  
Dispersumque tuum collige, coge gregem.

Vt tua concordi celebremus nomina laude,  
Hac placeat nobis gloria nulla magis.

Quem colit Abrami soboles Dominūque Deumq;  
Huic decus æternū, lausque perennis, Amen.

ARGUMENTVM PSALMI CVI.

*Laudanda ætheri sunt inclyta facta Tonantis,*

*Qui terras, pelagus, sideraq; alta regit:*

*Qui iuuat afflictos, releuat morbosq; famemq;*

*Qui nulli renuit ferre vocatus opem.*

CONFITEMINI DOMINO QVO-

NIAM BONVS.

**D**icite celestem, quoniam bonus ille, parentem,  
Et quia se monstrat tempus in omne pium.

Dicant quos misera Dominus de sorte redemit,  
Fortis ab infesta surripuitque manu.

Quique misella vagum fueratis sparsa per Orbem,  
Nunc verò in solitas turba reducta domos:

Quos Oriens profugos, & quos Occasus habebat,  
Quos Aquilo, & tepidis humidus Auster aquis.

Errauere locis gelidam sitientibus vndam,  
Quæ nemo gressu triuerat ante suo.

Nec certam inuenere viam quæ ostenderet urbem,  
In

In



In qua spes esset figere posse larem.  
 Hic inopes rerum potus eguere, cibi que,  
 Penè animis donec deliquere suis.  
 Ergo implorarunt mēsto clamore leuamen,  
 Cēlestique malis eripiuntur ope.  
 Ille viæ ignaros habitatas duxit ad vrbes,  
 In quibus optatæ copia sedis erat.  
 Ergo Dei bonitas celebri memoretur honore,  
 Quæque hominum natis digna stupore facit.  
 Quippe cibi vacuos victu satiauit opimo,  
 Sæuaque de clausis carcere vincla tulit.  
 Namque Dei voces animo male sana procaci  
 Spreuerat, & monitus impia turba sacros.  
 Propterea ærumnis etiam, duroque labori  
 Subiecti fastus deposuere suos.  
 Sed neque continua mortis sub imagine fractis  
 Præsidium quisquam qui dare vellet erat.  
 Auxilium donec mēsto clamore vocarent,  
 Diuinaque malis eriperentur ope,  
 E tenebris eduxit eos, & mortis ab vmbra,  
 Duraque clausorum carcere, vincla scidit.  
 Ergo Dei bonitas celebri memoretur honore,  
 Quæque hominum natis digna stupore facit.  
 Excussit seras, portasque attriuit ahenas,  
 Fregit & inuicta ferrea clathra manu.  
 Clementer reduces ab iniquo calle recepit,  
 Scilicet afflicti crimina propter erant.  
 Tantaque vis longi fuerat languoris, vt omnes  
 Horrerent animis, respuerentque cibos.  
 Viribus exhausti cunctis, defecta trahebant  
 Corpora, & in foribus iam prope mortis erant.  
 Auxilium solitis implorauere querelis,

De

De cæloque leuans præsto medela fuit.  
Nempe Dei imperio fugiunt pallorque, dolorque,  
Lethalis fugiunt semina oborta mali.  
Ergo Dei bonitas celebri memoretur honore,  
Quæque hominum natis digna stupore facit.  
Sacrificent cuncti Domino pia munera laudum,  
Et vulgent lætis ipsius acta sonis.  
Qui mare decurrunt ratibus sua lucra sequentes,  
Stagnaque mutandis mercibus ampla secant,  
Præsentibus oculis Domini facta inclyta cernunt,  
Quæque sub immenso gurgite mira latent.  
Iusserit, irumpunt venti, & maria alta tumescunt,  
Celsaque sublatis fluctibus astra petunt.  
Haud mora, cùm ratibus descendere ad ima videntur  
Tartara, fitque metu nauita mentis inops.  
Utque meri pleno titubant vestigia, sic ars  
Nautica sollicitis fluctuat acta malis.  
Vectores Dominum tristi clamore precantur,  
Clamantes Domini dextra benigna iuuat.  
Et mare ventosum sternit frenatque procellas,  
Aura fit, immanis qui modo Caurus erat.  
Iamque silent fluctus, lætatur functa periculis  
Turba, dehinc portus gaudet inire suos.  
Ergo Dei bonitas celebri memoretur honore,  
Quæque hominum natis digna stupore facit.  
Hunc populi exaltent cætus, laudentque frequêtes,  
Hunc canat & procerum læta corona senum.  
Grandia in arentes conuertit flumina campos,  
Vdaque perpetuam misit in arua sitim.  
Fructiferas fieri steriles salugine terras  
Fecit, ob offensas incola præue tuas.  
At contra latices iussit, scatebrasque fluentes  
Surgere

Surgere de siccis, lætaque stagna locis;  
 In quibus esurie pressis magalia primum  
 Figere, dehinc vrbes ædificare dedit.  
 Scinditur hinc tellus, mandantur semina sulcis,  
 Et serie vites ponere cura subit,  
 Annua cultori quæ reddant fœnora auaro,  
 Et referant fructus germinis aucta sui.  
 His super accessit Domini bonitasque, fauorque,  
 Qui validè ipsorum multiplicauit opes.  
 Quippe nouis semper genituram fœtibus augens,  
 Incrementa dedit maxima habere pecus.  
 Has tamen imminuit fortunas crimine læsus,  
 Fœlicesque diu non tulit esse malos.  
 Cladibus ingratos fregit, cumuloque malorum,  
 Inseditque animis plurimus inde dolor.  
 Quos hominum fulgens ornabat gloria primos,  
 Indecores titulis mox cecidere suis.  
 Implicuitque Deus cæcis erroribus illos,  
 Inuiaque est passus per loca ferre pedes.  
 Extulit ast inopes, rebusque exemit egenis,  
 Et tanquam charas fœtibus auxit oues.  
 Iudicia hæc Domini gratanti lumine recti  
 Aspicient, læta laude ferentque Deum.  
 Improbitas contra perfusa pudore tacebit,  
 Præcluso solitos nec dabit ore sonos.  
 Ecquis erit sapiēs, memori hæc qui mēte recondat,  
 Et pia tam mitis ponderet acta Patris?

A R G V-

## ARGVMENTVM PSALMI CVII.

Cuius ope immanes victor superauerat hostes,

Hunc canit, & grato personat ore Deum:

Per quem non dubitat iam certior omine factus,

Regna sibi in gentes amplificanda nouas.

PARATVM COR MEVM DEVS.

**C**Orda parata Deus mea sunt tibi, corda parata

Sunt mea, qua potero te ratione canam.

Exurge ô nablum, chelis & mea gloria surge,

Atque pios mecum perstrepite sonos.

Mane citus surgam, nec lucis tarda morabor

Tempora, præueniet vox mea Solis equos.

Te Domine ore ferã, & populos celebrabo per om-

Per gentes psallam carmina festa tibi. (nes,

Celsior est ipso pietas tua maxima cælo,

Nubila veraci tendis adusque fide.

Exaltare super cælos Deus, & super omnem

Fac tua maiestas notificetur humum.

Vtque tibi charos trepida formidine soluas,

Nos bonus exaudi, quæso, iuuesque manu.

Quod precor eueniet, signum de sede remisit

Ætherea spondens prospera cuncta Deus.

Lætabor, gaudensque Sichem partibor opimam,

Est mea conuallis pulchra futura Sochor.

Siluosus Galaad meus est, mea terra Manasse,

Verticis Efframidæ robora tuta mei.

Imperij sedes tu nostri es Iuda futurus,

Ast erit olla mihi pelluuiumque Moab.

Sub soleas calcanda meas cogetur Idume:

Iura Palæstinis non renuenda dabo.

Mœnia vallatæ quis me deducet in vrbis?

Quis me in Idumæis sistet amicus agris?

Tunc

Tūc Deus, qui nos repulisti, & in agmina ductor  
 Nostra recusasti more venire tuo?  
 Affer opem, nostroque precor succurre labori,  
 Quippe salus fallax, quam dare possit homo, est.  
 Te solo freti infestum tendemus in hostem,  
 Et forti edemus fortia facta manu.  
 Sentiet ætherei virtutem roboris, atque  
 Calcibus obtritus concidet ille tuis.

ARGUMENTVM PSALMI CVIII.

*Omnibus hîc diris sceleratum David Iudam*

*Deuouet: insontem prodidit ille neci.*

*Sunt qui in crudelem dicant hæc scripta Doëgum:*

*Sed mihi non faciunt talia dicta fidem.*

DEVS LAVDEM.

**N**E tacitam patiare rogo Deus optime laudem  
 Crimina ob iniurtè sparsa latere meam.  
 Nam sua me contra reserarunt ora scelesti,  
 Et qui plena vafræ pectora fraudis habent.  
 Hi mea suggillant fallaci nomina lingua,  
 Vndique in immeritum vox inimica furit.  
 Quumque fauere mihi deberent, dente maligno  
 Me rodunt, iugi pro quibus insto prece.  
 Tot bene pro factis ingrati damna reponunt,  
 Nilque odium præter pro pio amore fero.  
 Dicere cogatur sub iniquo Iudice causam,  
 Et ferus à dextris astet vbique Sathan.  
 Iudicioque reus mox condemnetur, ei que  
 Oranti fiant noxia verba preces.  
 Tollatur fato nondum maturus acerbo,  
 Quasque gerit partes muneris, alter agat.  
 Defunctum patrem soboles, vxor que maritum  
 Defleat, & viduæ tristia damna domus.

Extorres

Extorres patria nati regione vagentur,  
 Exiguumque petant ore tremente cibum.  
 Sedibus eiectionis propriis aliena frequentent  
 Limina, & exilij incommoda multa ferant.  
 Perscrutetur opes, & duro fœnore vexet  
 Creditor, vsuris attenuetque domum.  
 Ut bona quæ longo congeffit cumque labore,  
 Externæ inuadant, diripiantque manus.  
 Poscenti auxilium nemo succurrere curet,  
 Nec sit pupillos qui pietate iuuet.  
 Stirpitis intereat prima cum prole, nec vllum  
 A fera nomen posteritate ferat.  
 Sub Domini aspectum redeant delicta parentum,  
 Crimina nec matris deleat vlla dies.  
 Irato Domini spectetur lumine semper,  
 Nec deinceps sit ei nomen in Orbe super.  
 Immemor humanæ siquidem pietatis, egenum  
 Afflictumque animi tollere morte parat.  
 Semper ei infelix fuit execratio cordi,  
 Eueniant ipsi cuncta sinistra precor.  
 Felicem Domini fortunatumque fauorem  
 Rennuit, hunc fugiant omnia fausta procul.  
 Induat ut vestem diras, atque instar oliui,  
 Utque aqua in ipsius viscera, & ossa meent.  
 Noxia pro solito sit ei maledictio amictu,  
 Zonaque qua lumbos cingitur vsque suos.  
 Hos subeant casus prauis quicunque susurris  
 Damna creant animæ perniciose meæ.  
 Alme Deus, Deus alme meis sta à partibus oro,  
 Nominis eximij pro ratione tui.  
 Quæso age quum tua sit pietas blandissima cunctis,  
 Fac soluar tantis pauper egenisque malis.

O

Quippe

Quippe mihi puido trepidant præcordia motu,  
 Curarumque feris æstibus intus agor.  
 Utque cadunt tenues radiis surgentibus vmbrae,  
 Sic animi vires anxietate labant.  
 Utque locum mutant graciles per prata locustæ  
 Saltibus, incerta sic vagor ipse fuga.  
 Subduxere meis genibus ieiunia vires,  
 Marcuit & pingui deficiente caro.  
 Opprobrium sum factus eis, & fabula, meque  
 Aspergunt turpi sanna, agitantque caput.  
 Auxiliator ades nostræ Deus oro saluti,  
 Consuetumque tibi fac miserantis opus.  
 Sic aded vt norint me te adiutore iuuari,  
 Præstantemque tuam qua leuer esse manum.  
 Inuideant hostes, & pessima quæque precentur,  
 Felici contra tu mihi voce faue.  
 Qui mihi bella cient, horum pudor ora coloret,  
 Seruus agat porro gaudia læta tuus.  
 Ut tunica coopertus eat probro, atque pudore,  
 Perdere me falso crimine quisquis amat.  
 Restat vt accepto Dominum pro munere gratus  
 In crebris hominum cætibus ore canam.  
 Semper enim dexter dura sub sorte gementi  
 Astitit, inde mihi certa reperta salus.

ARGVMENTVM PSALMI CIX.

*Præcinit exortum Christi, regnumque perenne,  
 Utque sacerdotem hunc iusserit esse Deus  
 Muneris æterni: qui facta perque labores,  
 Perque hostes domitos, iret ad astra, via.*

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO.

**Q** Vê tellus Dominû, quæ celi, & pontus adorât,  
 Ille dedit Domino talia dicta meo.

Fas

Fas tibi sit mecum folio consistere eodem,  
 Asside, & à dextra te mihi iunge manu.  
 Illustri donec prostratos Marte rebelles,  
 Subiiciam pedibus scamna premenda tuis.  
 Orsus ab excelsa Dominus sua scepra Sione,  
 Orbis in extremos proferet vsque sinus.  
 Subiectos inter medius dominaberis hostes,  
 Nec tibi qui obsistat tam ferus vllus erit.  
 Summa tibi rerum tunc cędet, quum tua virtus  
 Conspicuis fuerit clarificata notis:  
 Lucida mirandis quando splendoribus olim  
 In tua sanctorum sancta receptus eris.  
 Ex vterogenui te pignus amabile nostro,  
 In celo nondum lucifer ortus erat.  
 Iuravit Dominus, nec quicquam mutat, in æuam  
 More sacerdotem Melchisedecis ages.  
 Ille tibi à dextris assistens, quum feret ira,  
 Regnantium franget robur, & arma virum.  
 Iudicium vindex gentes vrgebit in omnes,  
 Atque hominum multa strage replebit humum.  
 Ac non pauca tuis capita obluctantia iussis  
 Vltrici quatiet comminuetque manu.  
 Hauriet immensos vitæ tamen ante labores,  
 Atque ideo clarum tollet ad astra caput.

## ARGVMENTVM PSALMI CX.

*Summa Dei bonitas, ingens sapientia, robur*

*Inuictum, dictis consona vbiq; fides.*

*Abramida sęq; pio quàm sit complexus amore,*

*Carmine in exiguo notificata legis.*

## CONFITEBOR TIBI DOMINE.

**M**agne parens meritas toto tibi pectore laudes  
 In grege iustorum concilioque canam.



Maxima sunt Domini quæcunque æterna perëgit  
 Dextera, & exactis non nisi facta modis.  
 Sic aded vt si quis curet perpendere, lætus  
 Authoris placitum gestiãt omne sequi.  
 Quicquid agit, laus est ingens, splendorq; nec vllus  
 Iustitiæ ipsius terminus esse potest.  
 Æternum peperit sua per miracula nomen,  
 Parcere amans Dominus, ad veniamq; celer.  
 Largifluis pauit dapibus sua iussa timentes,  
 Nec queat oblitus fëderis esse sui.  
 Quantaq; factorum vis sit, virtusq; suorum,  
 Nosse dedit populo signa per ampla suo.  
 Pingua rura illis tribuens habitanda diebus  
 Perpetuis, gentes quæ tenuere prius.  
 Omne quod exequitur, iustum est, penitusq; fidele,  
 Iussa que in æternum quæ dedit vsque manent.  
 Consistunt etenim vero firmata perenni,  
 Et ceu iustitiæ constabilia basi.  
 Ipse suum populum serua de sorte redemit:  
 Vultq; quod est pactus semper id esse ratum.  
 Iure gerit nomen sanctum, dignumq; timeri,  
 Et sophiæ fons est eius habere metum.  
 Quem quicunque pios vitæ traducit in actus,  
 Hic sapit, huic semper præmia laudis erunt.

ARGVMENTVM PSALMI CXI.

*Felix, qui didicit Domini mandata timere,  
 Quiq; sacra penitus legis amore calet,  
 Cui quoque pauperibus manus est assueta iuuandis,  
 Tam felix, hostis pectus vt vrat, erit.*

BEATVS VIR, QVI TIMET DOMINVM.

**O** Nimium felix, Dominum quicūque veretur,  
 Quodq; iubet, præstat: quod verat ille, cauet.  
 Et

Et cui summa sacrae est legi parêre voluptas,  
 Hanc amat ardenti pectore, nilque prius.  
 Illius valida florebut sorte nepotes:  
 Stirps erit in fontum læta, beante Deo.  
 Quas colet ille domos, illic & gloria fulgens,  
 Et mundi census copia diues erit.  
 Hunc sua perpetuò bonitas mansura sequetur,  
 Nec spatio longi temporis illa cadet.  
 Sinceris Dominus pius, & miserator, & æquus  
 Pertenebras orti luminis instar erit.  
 Laudè habet ille boni, quisquis miseratus egentes,  
 Commodat his operam, rem, studiumq; libens.  
 Iudicio ille suos prudenti dirigit actus:  
 Quodque gerit, sapiens cura gubernat, opus.  
 Perferet immotus, quas fert fortuna, procellas,  
 Æternum quæuis ad mala robur habet.  
 Adde quòd & celebr cuncto memorabitur æuo,  
 Nec malus huic rumor causa timoris erit.  
 Cur etenim metuat Domino bene fidere certus,  
 Et spe non dubia fortia corda gerens?  
 Quidlibet eueniat, non consternabitur vllis  
 Ille malis: forti pectore semper erit.  
 Donec ita euincat, lufos contemnat vt hostes,  
 Cernat & illorum nil potuisse minas.  
 Sparferit ille suas fortunas largus egenis,  
 Tam iustum in tempus omne manebit opus.  
 Claraque perpetuò victuri tollet honoris  
 Cornua, conspicuum percipietque decus.  
 Idque videns tumidas peccator abibit in iras,  
 Et dabit insanos dente fremente sonos:  
 Tabescetque miser, tam fient vota malorum  
 Irrita, nilque horum quæ voluere ferent.

O 3

ARGV-

## ARGUMENTVM PSALMI CXII.

*Admonet vt Domino laudum tribuamus honores,*

*Ipsius hoc bonitas tanta meretur opus.*

*Qui licet in calis habitet, tamen infima terra*

*Visitat, & praesens curat vbique suos.*

## LAVDATE PVERI DOMINVM.

**L** Audibus, ô pueri, Dominũ celebrate frequẽtes,  
Laudibus aeterni nomina ferte Dei.

Tempore ab hoc nostro, ventura in saecula semper

Nominis istius continuetur honos:

Illustrent omnes Domini laudabile nomen,

Partibus Eois, Occiduisque plagis.

Nempe super cunctas gentes excellit, & altos

Transuolat ipsius gloria summa polos.

Quis nostro tandem similis Dominoque Deoque est,

Qui tenet in superis climata summa locis?

Ima tamen solio longè prospectat ab alto,

Seu lateant caelo, siue tegantur humo.

Suscitat ille inopem terra, & de stercore egenum

Tollit, honoratum datque tenere locum:

Vt sedeat proceres inter, rerumque potentes,

Et dicat populo iura verenda suo.

Qui steriles auget matronas prole, facitque

De natis capiant gaudia multa suis.

## ARGUMENTVM PSALMI CXIII.

*Magna Dei celebrat leto miracula cantu,*

*Quae quondam priscis multiplicauit auis:*

*Isacidas quando promissos misit in agros,*

*Sustulit & Pharij pondera saeva iugi.*

## IN EXITV ISRAEL DE AEGYPTO.

**Q** Vum genus Israël Pharijs excederet oris,  
Et festinaret Barbaro abire solo,

Tunc

Tunc sibi præcipuos Dominus propriosq; sacrauit  
 Ifacidas, statuit iuris & esse sui.

Viderat hoc pelagus, timuit, trepidansq; recessit,  
 Iordanis refugo flumine vertit iter.

Quassauere metu timidi sua culmina montes,  
 Tanquam aries inter quum vitulatur oues.

Cernere erat moto exultare cacumine colles,  
 Ut satur in lætis subsilit agnus agris.

Quæ mare causa fuit, cur tam properanter abires?  
 Quæ tibi Iordanis vertere causa fuit?

Quid montes vt oues, colles saluistis vt agni?  
 Præsentem tellus senserat esse Deum.

Scilicet à facie Domini commota tremebat,  
 Conspectuq; Dei magne Iacobe tui.

Qui gelidos petra latices produxit ab ima,  
 Et dare fontanas saxa coëgit aquas.

Non nobis Domine hæc non dāda est gloria nobis,  
 Sed decus hoc totum nominis esto tui.

Vt tua summa fides cōstet, bonitasq; per Orbem,  
 Et te is veracem prædicet atque pium.

Ne quando dicant gentes: quod stulta propago  
 Abramidum tanquam numen adorat, vbi est?

Est Deus in cælo noster magnusq; potensq;  
 Quiq; voluntates implet vbique suas.

Numina porro colunt gentes conflata metallo,  
 Numina ab humana nempe reperta manu.

Os elingue patet nullis sermonibus aptum:  
 Sunt ipsis oculi, sed sine luce tamen.

Auribus accipiunt nullos aurita sonores:

Stant nares patulæ, nec subit vllus odor.

Sunt manuum formæ, sed quæ palpare recusent:

Nec possunt apti gressibus esse pedes.

Guttur pulchra licet summo de pectore surgant,  
 Edere clamorem non tamen illa queunt.  
 Efficiantur eis similes, qui talia fingunt,  
 Et qui spes inibi constituere suas.  
 At domus Israël Domino confidere certa est,  
 Hanc ope nimirum, præsidioque tegit.  
 At domus Aronis Domino confidere certa est,  
 Hinc capit auxilium scilicet omne suum.  
 Denique quisquis eum metuet, se credet eidem,  
 Et protectorem sentiet esse sibi.  
 Ille recordatus nostri est Deus, atque favore  
 Largiter adiuuit commoda nostra suo.  
 Thariadum generi multa benedixit opum vi,  
 His quoque qui ex Aron sunt genitore sati.  
 Omnia fausta ferent Dominum quicumque timebunt,  
 Seu iuvenes seu sint conditione senes.  
 Adiciat Dominus, vos ut vestrosque nepotes  
 Lata fortunet prole, beæque bonis.  
 Omine vos inquam fausto feliciter ille,  
 Cuius opus cælum, terraque cuius opus.  
 Cælica regna sibi seruauit, terrea porro  
 Mortali genitis semine habenda dedit.  
 Non vita functi Deus o tibi laudis honorem  
 Præstabunt, vel quos tristis Auernus habet.  
 Illud opus nostrum est, qui cæli vescimur aura,  
 Nostra tibi æternis laudibus ora sonent.

ARGV

## ARGVMENTVM PSALMI CXIIII.

*Liber ab arumnis factus, mortisq; periclo,  
In requiem mentis se vocat ipse sua.  
Ut vacuum possit Domini dare pectus amori,  
Qui conseruata caussa salutis erat.*

## DILEXI QUONIAM.

**D**ilexi Dominum toto complexus amore;  
Excipiet fufas molliter ille preces.  
Sæpe dedit nostris acclines fletibus aures.  
Hinc mihi dum viam voce ciendus erit.  
Merapidaæ mortis circum prope vincla ligarant,  
Urgebant Stygij sæua pericla lacus.  
Inuenique miser tormenta doloribus ægris  
Addita, quæ durum sustinuisse fuit.  
Dulcia sed Domini imploravi nomina, dixi,  
Mi Deus, hæc animæ tristia deme meæ.  
Non fuit hoc frustra, Dominus nam mitis, & equus  
Officium semper commiserantis agit.  
Simplicium ille pius custos, gentisque pusillæ,  
Afflictum prompta me quoque iuuit ope.  
Nunc mea solue metus anima, & conuersa quietem  
Carpe, tot à Domino quum benefacta feras.  
Me siquidem asseruit letho, mea lumina fletu,  
A lapsu dubios continuitque pedes.  
Verfaborque illis Domino dilectus in oris,  
Quas mortis gelidæ nescia turba colit.

O S ARGV-

## ARGUMENTVM PSALMI CXV.

*Præteriti tantum pars est hac vltima Psalmi,  
Cunctaq; in Hebraeo continuata legis.  
Parte sui laudes canit Assertoris in illa:  
Hac sua promittit soluere vota palam.*

CREDIDI PROPTER QVOD  
LOQVVTVS.

**C**redula promissis Domini mēs nostra remāsit,  
Ac præ me hoc ipsum voce frequente tuli:  
Vndique crudeli quamuis vrgerer ab hoste,  
Quamlibet afflictā conditione forem.  
Quando erat, vt trepido memet subducere cursu  
Cogerer, hæc constans vox fugientis erat:  
Multa subest hominum verbis fallacia mendax,  
At verax Dominus, pollicitiq; tenax.  
Quas tentabo vices pro cunctis reddere donis,  
Quæ mihi munificè tam cumulata dedit?  
Pocula ob acceptam libabo grata salutem,  
Tamque pij nomen sollicitabo Dei.  
Quæque mihi in mediis sunt ipsi vota periculis,  
Illa ego curabo persoluisse palam.  
Quippe pios tristi præsens à morte tuetur,  
Vtique cadant, tamen hæc mors pretiosa Deo est.  
**O** Domine, en tibi seruus ego, tibi seruus in omni  
Tempore, prognatus de famulante tibi.  
Vincula rupisti, quibus irretitus habebar,  
Laxatusque tuæ sum pietate manus.  
Ergo sacra tuæ faciam cadat hostia laudi,  
Atque erit in nostro plurimus ore Deus.  
Persoluamque tibi votis quæcunque recepi,  
Idque palam, & populo conspiciente tuo.

Hic

Hic ubi sacra panduntur limina templi,  
Inque tui mediis vrbs Solymæa locis.

## ARGUMENTVM PSALMI CXVI.

*Præstitit optatæ Dominus promissa salutis  
Gentibus, est eius laude ferenda fides.*

LAUDATE DOMINVM OMNES  
GENTES.

**L** Audis opus cunctæ Domino persoluite gentes,  
Et populi quotquot maximus Orbis habet.  
Eius enim est pietas nobis firmata, nec vnquam  
Veraci constans desinet esse fide.

## ARGUMENTVM PSALMI CXVII.

*Impositus regno, populo applaudente, subactis  
Hostibus authorem prædicat ore Deum.  
Plurima Christe tamen sunt hoc in carmine, quæ te  
Sensu quàm vatem proximior notent.*

CONFITEMINI DOMINO QVO-  
NIAM BONVS.

**D** icite laude Deū, nempe hoc bonitate meretur,  
Æternæ cuius sunt pietatis opes.  
Nunc domus Israël Dominū celebrate benignum,  
Æternæ cuius sunt pietatis opes.  
Prædicet Aronis Dominum numerosa propago,  
Æternæ cuius sunt pietatis opes.  
Certatim dicant, Dominum quicumque verentur,  
Ipsius æternæ sunt pietatis opes.  
Quippe ego durarū premerer quum pondere rerū,  
Et mihi cum rebus mens foret arcta simul;  
Præstitit auxilium votis ac voce rogatus,  
Multa animum releuans anxietate meum.

Ille



Ille mihi est opifer, procul hinc estote timores,  
 Nil metuam quid agat, quidue minetur homo.  
 Ille mihi auxilio presens succurrere curet,  
 Despiciam quicquid vis inimica ferat.  
 O quam cęlesti Domino confidere præstat,  
 Rebus in humanis quam posuisse fidem.  
 Tutius est, satiusque Deo se credere totum,  
 Spem sibi summates quam sit habere viros.  
 Undique cingebant me sæuæ indagine gentes,  
 Ultio sed Domini nomine facta mihi est.  
 Undique me circum dederant, sed nomine solo  
 Armatus Domini victor & ultor eram.  
 Sicut apes denso volitant examine circum,  
 Dum teneræ infigant spicula dira cuti:  
 Sic me cinxerunt, tantoque calore, velut quum  
 Ignes per veprium sicca alimenta furunt.  
 Ast ego diuino constanter nomine fretus  
 Vici, & de victis ultio facta mihi est.  
 Penè erat ut caderem, fueram sic pressus ab hoste,  
 Sed vetuit Dominus, supposuitque manum.  
 Ille meæ vires, ille est mea gloria solus,  
 Hunc ego, quod mea sit vita salusque, canam.  
 Gratantes mecum sociabunt gaudia iusti,  
 Et plausu facient ut sua tecta fremant.  
 Dextra Dei summæ virtutis signa peregit,  
 Me Domini euexit robore dextra potens.  
 Viuam non moriar, mihi nam fuit ille saluti,  
 Laudibus ipsius maxima facta veham.  
 Castigans penis me castigauit amaris,  
 Sed tamen ad Stygios non tulit ire lacus.  
 Pandite iustitiæ portas mihi, scilicet illas  
 Ingressus, Dominum laudis honore colam.

Hæc

Hæc Domini porta est, longè gratissima porta,  
 Iustorum pedibus tantum ineunda pijs.  
 Te celebrabo Deus, qui me exaudire precantem  
 Dignatus, nullam ferre negaris opem.  
 Quem manus artificum lapidem contemserat, ille  
 Factus structuræ est angulus, atque caput.  
 Hoc opus à Domino est oculis mirabile nostris,  
 Hæc Domini lux est, lætificemur ea.  
 O Domine optatam festina afferre salutem,  
 Da liceat læta prosperitate frui.  
 Plurima laus illi, qui è summo dexter Olympo,  
 Inque sacro Domini nomine missus adest.  
 Nos quoque sacrificio vobis benedicimus ore,  
 Qui terimus Domini limina sancta domus.  
 Scilicet is Deus est nobis Dominusque, beato  
 Pectora collustrans lumine nostra suo.  
 Solennes celebrate dies, arèque calentis  
 Ramorum decoret cornua sacra viror.  
 Tu Deus es nobis, spes & fiducia solus,  
 Carmine sublimem te celebrabo meo.  
 Te precibus nostris facilem, authoremque salutis,  
 Semper ego memori pectore & ore feram.  
 Collaudate pij Dominum, bonitate meretur,  
 Eius enim miserans gratia fine caret.

## ARGUMENTVM PSALMI CXVIII.

*Diuina utilitas quæ sit, virtusq; loquela,  
 Mentibus humanis lumina quanta ferat,  
 Perspicuè hic tractata vides, & plurima deinde  
 Quæ claudi hac nunquam sub breuitate queant.*

## BEATI IMMACVLATI IN VIA.

**Q**ui vitæ cursum peragunt sine labe beati,  
 Quosque iuuat Domini carpere legis iter.  
 Felices

Felices qui sancta pio scrutamine versant  
 Iussa Dei, & tota hunc quærere mente student.  
 Nam quicumque nefas studiis operantur iniquis,  
 Quas iubet ille sequi, non tenuere vias.  
 Tu rigidè seruanda Deus decreta tulisti,  
 Nec quenquam tuto transiisse ferēs.  
 O si sic moresque meos, vitamque gubernes,  
 Pars sit vt à placitis deuia nulla tuis:  
 Tum tua non aliquem faciet mihi spreta ruborem  
 Lex, quoties oculis lecta erit illa meis.  
 Tunc tibi directo referam præconia corde,  
 Iustitiæ doctus iussa verenda tuæ.  
 Et præcepta tui peragam iustissima verbi,  
 Tu modo conanti dexter adesse velis.

IN QVO CORRIGIT ADOLE-  
 SCENTIOR. 2.

Qua ratione queat vitam reparare inuentus  
 Vtilius? seruet si tua iussa Deus.  
 Te vigili hinc cura quæsiui, & pectore toto,  
 Da procul à iussis ne ferar oro tuis.  
 Ecce tuum eloquium memori sub mente recondi,  
 In culpam fragilis ne mea vita cadat.  
 O qui præcipua es semper mihi mente colendus,  
 Me tua sensa precor, iustitiamque doce.  
 Vt me nil aded iuuet, ac sermone frequenti,  
 Quod tibi iudicium fluxit ab ore, loqui.  
 Tam tua dulce mihi est vitæ ratione sequutum  
 Verba fuisse, vt opum copia nulla magis.  
 Ergo ego non segni studio exercebor in illis,  
 Aduertamque viis lumina fixa tuis.  
 Semper erunt tua scita mei meditatio cordis,  
 Illa mihi in memori pectore semper erunt.

RETRI-

## RETRIBVE SERVO TVO. 3.

Fac famuli rata vota tui, da viuere posse,  
 Et quæ voce mones esse sequenda, sequar.  
 Tegmina dimoueas oculis obstantia luci,  
 Quo valeam legis cernere mira tuæ.  
 En peregrinus ego miser, hospita & incola terræ,  
 Ne rogo me cela quæ facienda iubes.  
 Nam Pater, hanc animam tener infatiata cupido,  
 Inclyta iustitiæ pondera nosse tuæ.  
 Corripies fastu tumidos, maledictaque turba  
 Usque erit, amplecti quæ tua iussa negat.  
 Adlere me turpi contemptu, atque exime probris,  
 Sunt tua dicta animi sedula cura mei.  
 Me contra coeunt proceres, & multa loquuntur,  
 Non tua iussa tamen tracto retracto minus.  
 Hæc mea semper erunt animi meditata, fidele  
 Hinc ego solamen, consiliumque petam.

## ADHÆSIT PAVIMENTO. 4.

Concidit hæc anima, & terræ prostrata cohæsit,  
 Da mihi quam vitæ vox tua spondet opem.  
 Quæ mea sit vitæ ratio, tibi voce retexi,  
 Audisti, tua me scita tenere doce.  
 Sermonum calles aperi mihi quæso tuorum,  
 Vt tua sint curæ facta stupenda meæ.  
 Mens mea dormitat mæsto confecta dolore,  
 Confirma vires per tua verba meas.  
 Ne patiare ferar quo prauī semita ducit,  
 Sed rege me legis pro pietate tuæ.  
 Ipse viam veri delegi spon̄te sequendam,  
 Nec tua sunt animo lapsa statuta meo.  
 Eloquiis tua sensa tuis testantibus hæsi:  
 Ne sine frustratus quæso fuisse ferar.

Te

Te ducè quo potui cursu data iussa peregi,  
Dum mea soluisti corda ligata metu.

LEGEM PONE MIHI. 5.

Da mihi quæso viam placitorum nosse tuorum,  
O Domine, hanc studio persequar vsque meo.  
Instrue me, legemque tuam scrutabor, & eius  
Ex toto custos pectore semper ero.

Ad præcepta meos ductor tua dirige gressus,  
Gratior est animo nam via nulla meo.

Flecte meos illuc, vt ament tua fœdera sensus,  
Absit auaritiæ dira cupido procul.

Lumina nostra regas, mirari vt vana recusent,  
Viuificumque tuæ fac mihi legis iter.

Sic tua dicta tui famuli sub pectore firmes,  
Surgat vt inde mihi quo timeare metus.

Probra mihi suspecta procul fac quæso facestant,  
Iudiciis certè nil mage dulce tuis.

Ecce tuæ promptus legi parere cupiui,  
Fac ope iustitiæ stet mea vita tuæ.

ET VENIAT SVPER ME. 6.

Iam tua quæso mihi veniat pietasque salusque,  
Sic vt promisso congruat illa tuo.

Vt regeram his, qui me probrosa voce laceffunt,  
Spes quia sermoni fit mea nixa tuo.

Ne mihi subducas veracis munera linguæ,  
Iudiciis fidit mens mea tota tuis.

Et tua constitui studio seruare fideli  
Verba, nec hanc curam finiet vlla dies.

Ingrediebar iter tutus per aperta viarum,  
Quòd tua quæsissem nil nisi iussa sequi.

Me tua viderunt memorantem iura Monarchæ,  
Nec memorare mihi causa pudoris erat.

Sensa

Sensa tuæ legis meditans volui, atque reuolui,  
Scilicet illa animo grata fuere meo.

Ad dilecta mihi dextras tua pacta leuauì,  
Inque his dulce mihi ponere tempus erit.

MEMOR ESTO VERBI TUI. 7.

Polliciti memor esto tui, nam fulcior illo,  
Inque hoc est animi spes sita tota mei.

Hic certa inueni mestus solatia, namque  
Penè mihi extincto vox tua vita fuit.

Me quamquam sannis agitent, vexentque superbi,  
Non tamen efficient quin tua iussa sequar.

Iustitiamque tuam repetens ab origine mundi,  
Quo fallam curas accipio inde meas.

Horresco, exanguisque subit defectio mentem,  
Dogmata calcari dum tua cerno Deus.

Dum pia decanto legum decreta tuarum,  
Attenuo luctus, exiliumque leuo.

Cogito te quoties per opacæ tempora noctis,  
Legis ego custos vrgeor esse tuæ.

Hinc porro persæpe tui de nocte recordor,  
Quod tua lex mentis cura sit vna mea.

PORTIO MEA DOMINE. 8.

Diuitias alij quærant, & pinguia rura,  
Mi sat erit curam legis habere tuæ.

Ambio te vultusque tuos, & pectore toto  
Te rogo, vt es pactus sis pius vsque mihi.

Ipsè meam recolens vitam, nil præter amari  
Ad tua quàm celerem vertere iussa gradum.

Nulla mora est, tua verba sequar quocumq; vocabûta  
Nec refugus, quamuis territer hostis, ero.

Impia me duro cinxerunt vincula nexu,  
Vsque recordatus sum tua scita tamen.

P

Sufci-

Suscitor, vt laudem media te nocte, canamque,  
 Quam sis iudiciis iustus vbique tuis.  
 Addo me socium veritis tua numina, & illis  
 Custodes legis quos iuuat esse tuæ.  
 O cuius summa tellus pietate redundat,  
 Te monstrante sciam fac tua senſa Deus.

BONITATEM FECISTI CVM

SERVO TVO. 9.

Ecce tuæ auxisti bonitatis munere seruum,  
 Munere promisso conueniente tuo.  
 Esse bonum, rebusque aptum, tua dogmata nosse  
 (Credo tuis iussis) da precor illa mihi.  
 Confiteor grauius me deliquisse, priusquam  
 Cæderer, hinc condo nunc tua dicta sinu.  
 Pro bonitate rogo, qua te præstare fatemur,  
 Imbue me legis cognitione tuæ.  
 Me super impietas turbæ est cumulata superba,  
 Toto ego sed legem pectore quæro tuam.  
 Cor hebes est ipsis, & lactis quanta coacti  
 Crassities, animi lex tua cura mei est.  
 Ærumnas subiisse meis fuit vtile rebus,  
 Vt tua iura velim discere, causa fuit.  
 Argenti quarant alij sibi millia & auri,  
 Scita tuæ vocis sunt meliora mihi.

MANVS TVÆ FECE-

RVNT ME. IO.

Plasma ego sum manuum plastes æterne tuarum,  
 Hoc pectus legis fac docile esse tuæ,  
 Vt qui te metuunt, de me pia gaudia sumant,  
 Quod bene sperandi sit data causa mihi.  
 Esse tua agnosco decreta æquissima longè,  
 Et tibi me penas iure dedisse graues.

Sed

Sed famuli miserere tui, solare iacentem,  
 Alloquioque tuo pectora mesta leues.  
 Si mihi contingat pietas tua, viuere demum  
 Incipiam, tua lex nam meditata mihi est.  
 Erubeant de me fingentes praua superbi,  
 Ast ego mandatis inuigilabo tuis.  
 Huc redeat quotquot metuunt tua numina tandem,  
 Et quibus est leges noscere cura tuas.  
 Inque tuis verfer da sic sine labe statutis,  
 Ne mihi sollicitus vestiatur ora pudor.

DEFECIT IN SALVTARE  
 TVVM ANIMA.

Defeci expectans nimium dilata salutis  
 Munera, spem cuius verba dederet tua.  
 Tabescunt oculi miserè tua pacta morantes,  
 Atque iterant, quando ut nos recreemur, erit?  
 Instar vtris cutis est gelidis ceu stricta pruinis,  
 Iusta nec oblitus sum tua scita tamen.  
 Quam longa ærumnis statuisti tempora nostris?  
 Quando hostes penas, quas meruere, luent?  
 Plurima ab iniusta narratur fabula turba:  
 Ad legem porrò nil facit illa tuam.  
 Quæ tu cumque iubes, sunt veri plena fidelis.  
 Impio ab hoste petor, mi Deus, affer opem.  
 Penè erat ut per eos atro demergerer Orco,  
 Nec tua seruauit pectore iussa minus.  
 Has vires pietate tua vitamque reforma,  
 Sic testata tuæ sedulo mentis agam.

IN ÆTERNVM DOMINE  
 VERBVM TVVM.

Voluitur æterno celestis fabrica motu,  
 Quam constat verbo te stabilisse tua.



Dictorum stat fixa fides, constansque tuorum,  
 Fundasti terram iussibus, illa manet.  
 Lucibus vsque tuo succedunt ordine luces,  
 Nec mirum, parent cuncta creata tibi.  
 Lex tua ni crebro nobis meditata fuisset,  
 Cesserat hinc anima hæc pondere victa mali.  
 Illius ergo memor degam, dum vita manebit,  
 Nimirum cuius me recrearis ope.  
 Sum tuus, auxilio mihi sis, tua namque facefso  
 Iussa libens, animi cura fuere mei.  
 Vt me conficerent, expectauere nocentes,  
 Hinc subiit leges noscere velle tuas.  
 Vltima cunctarum conspexi tempora rerum,  
 At legi finis nulla futura tuæ est.

QVOMODO DILEXI LEGEM  
 TVAM DOMINE. 13.

Quàm mihi grata tuæ est sacræ tractatio legis!  
 Hac sine sum nullam passus abire diem.  
 Scilicet efficior prudentior hostibus illa,  
 Nec mihi subduci tempus in omne sinam.  
 Huius ego studio possum superare magistros,  
 Qui præceptores ante fuere mihi.  
 Ipsaque doctrinæ cedit mihi laude senectus,  
 Quod tua perpetuo dogmata corde geram.  
 Illicitas calcare vias, prauasque refugi,  
 Vt teneam tua lex quod mihi monstrat iter.  
 Sed neque sacra tui iuris decreta reliqui,  
 Quod mihi pro norma hæc te statuisse sciam.  
 Dulcior est nostro tua vox, quàm mella palato,  
 Quæcumque è violis sedula stipat apis.  
 Illa tuis venit nobis sapientia iussis,  
 Mens mea vt illicitas horreat ire vias.

LVCER-

LUCERNA PEDIBVS MEIS  
VERBUM TVVM. 14.

Ecce mihi tua vox ceu fax præluceat eunti,  
Et præstat pedibus lumina clara meis.  
Iuravi & statui, nec me sententia verter,  
Iustitiæ custos sedulus esse tuæ.  
Penè miser perij, vitæ me redde priori,  
Constet vt eloquij te meminisse tui.  
Sint tibi grata precor linguæ promissa volentis,  
Et mea iudiciis instrue corda tuis.  
Vita quasi in manibus gestatur nostra, periculis  
Obuia, inhæserunt nec tua scita minus.  
Insidias laqueosque mihi posuere nocentes,  
Nec velut erro tuæ defero legis iter.  
Quin animi testata tui pro sorte recepta  
Sunt mihi, quippe mei gaudia cordis habent.  
Ad tua iussa meos conuerti denique sensus,  
Vt sit mercedis spes mihi certa tuæ.

INIQVOS ODIO HABVI. 15.

Vt tua detestor calcantes iussa scelestos,  
Ardeo sic legis totus amore tuæ.  
Tu meus adiutor solus, vindexque fidelis,  
A verbo pendet spes mihi cuncta tuo.  
Turba maligna procul, procul hinc abistite prauis,  
Dum scrutor nostri sancta statuta Dei.  
Suscipe me, & viuam iuxta tua verba, tuendum.  
Ne tibi confisum sit mihi fortè pudor.  
Huc ades auxilio, & certam mihi cerno salutem,  
Tunc quoque cura mihi lex tua semper erit.  
Spreuisti quicumque tuo de iure recedunt,  
Nam tales animis impia sensa fouent.  
Terrarum fontes vt purgamenta putasti,

Complecti leges hinc mihi cura tuas.  
 Iudice te maneant quænam tormenta nocentes,  
 Dum reputo, trepidant pectora nostra metu.  
**FECI IVDICIUM ET IVSTITIAM. 16.**  
 Iustitiam coluique libens, fecique quod æquum:  
 Ne sine vt immeritum crimina falsa premant.  
 Suscipe me seruum, & rebus seruato secundis,  
 Nam violente manu me fera turba petit.  
 Tabescunt oculi præ cura & amore salutis,  
 Iustitiæ vt cernant dicta rata esse tuæ.  
 Quæso agè consueta famulum pietate tuere,  
 Quæque tenenda mihi præcipis, illa doce.  
 Profiteor seruus tibi sum, semperque futurus,  
 Ingenio sensus da penetrare tuos.  
 Tempus adest penas de fontibus vt tua sumat  
 Dextera, legem ausis contemere tuam.  
 Scilicet illa mihi quouis dilectior auro est,  
 Charior & gemmis decolor inde tuis.  
 Propterea memet iuxta tua iussa regebam,  
 Atque viæ fugitans impietatis eram.  
**MIRABILIA TESTIMONIA. 17.**  
 Admiranda tuæ quum sint oracula vocis,  
 Maxima sunt animæ sollicitudo meæ.  
 Sermonum siquidem illustratio sancta tuorum  
 Lumina dat paruis, nec sinit esse rudes.  
 En præscripta trahens cupidis tua faucibus hausi,  
 Tanta mihi illorum nempe cupido fuit.  
 Respice me quo more soles tua nomina amantes,  
 Affectuque tuum commiserante iuua.  
 Ad tua iussa velis nostros componere gressus,  
 Ne queat impietas imperitare mihi.  
 Effice prauorum ne iniusta calumnia nobis  
 Officiat,

Officiat, iussus mente tenebo tuos.  
 Me perfunde tui radiis, & lumine vultus,  
 Et tua da seruo, nosse statuta tuo.  
 Flumina nostri oculi lachrymarum tota dedere,  
 Quòd spernat leges impia turba tuas.

IUSTVS ES DOMINE ET  
 RECTVM IVD. 18.

Summe Pater diuùm, quo nil est sanctius vsquam,  
 Iustus es, & ratio iudicij æqua tui est.  
 Nam quæcunque tuis vnquam seruanda dedisti,  
 Sunt ea iustitia, sunt ea plena fide.  
 Conficior, cepique graui tabescere zelo,  
 Negligat admonitus gens quòd iniqua tuos.  
 Namque tuus sermo est radianti purior igne,  
 Tantoque est seruo charior ille tuo.  
 Exiguum quanquam fuerim cõtemptus ob æuùm,  
 Mì tua inhæserunt dogmata iusta tamen.  
 Stat tua iustitia haud spatio consumptilis vllò:  
 Quod statuis, fidei est tempus in omne tenax.  
 Me casus reperere graues, pressuraque mentis,  
 Sed tua delitiæ iussa fuere meæ.  
 Quæ præstanda iubes, sunt omni æquissima seculo,  
 Cognita quæ fuerint si mihi, saluus ero.

CLAMAVI IN TOTO COR-  
 DE MEO. 19.

Me Domine exaudi toto te corde vocantem,  
 Semper erit placiti hæc mens studiosa tui.  
 Ad te conuersus clamantia vota leuavi,  
 Quo possem monitus ritè tenere tuos.  
 Lucis præueni mēstis clamoribus ortum,  
 Reddiderant certam spem tua verba meam.  
 Ad te oculos verti, nondum diluxerat, idque

Vt possem eloquiis inuigilare tuis.  
 Aure meam miserante, precor Deus, excipe vocem,  
 Et vitæ serues integra fila meæ.  
 Ecce propinquarunt sceleri, mea damna parantes,  
 Diuersi que tua lege abiere procul.  
 Te mihi præsentem nullo non tempore sensi,  
 Nam tua dictorum est non violanda fides:  
 Quæ tua perpetuo niti fundamine dicta,  
 Cognorunt vitæ tempora prima meæ.

V I D E H V M I L I T A T E M M E A M. 20.

Respice me, pressum que malis Deus eripe, quando  
 Non soleam iussus immemor esse tui.  
 Da mea vt euincat iusto te iudice causa,  
 Meque iuues pacti pro ratione tui.  
 Nulla salus illis quibus est peccare libido,  
 Hi legis curam deseruere tuæ.  
 Multus vbi que tuæ cumulus pietatis, & ingens  
 Promissam cura ferre salutis opem.  
 A multis grauiter quanquam vexer que, premar que,  
 Scita tamen tenui legis amanda tuæ.  
 Tabesco quoties video tua numina sperni,  
 Nec custodiri quæ facienda iubes.  
 Adspicias quoniam mihi sunt tua dogmata curæ,  
 Da sentire pium vitificantis opus.  
 Intemerata fides virtus que æterna potentis  
 Iustitiæ, verbi summa caput que tui est.

P R I N C I P E S P E R S E Q V V T I  
 S V N T M E. 21.

Me Deus oppugnant proceres nil tale merentem,  
 Sed tamen hos metuo quam tua iussa minus.  
 Non spoliis adeo lætatur miles opimis,  
 Quam tua sint animo grata statuta meo.

Impia

Impia facta odiis, prauosque infector acerbis,  
 Tam teneor magno legis amore tuæ.  
 Terque quaterque die laudum tibi munera pendo,  
 Effero iustitiæ iudicia æqua tuæ.  
 Plurima pax animi sequitur tua scita colentes,  
 Offendent tales scandala nulla viros.  
 Nil deinceps certam dubito expectare salutem,  
 Quum tua iussa Deus sint mihi summus amor.  
 Mente tuam memori legem conseruo, nec vlla  
 Res omnino queat dulcior esse mihi.  
 Me seruasse tui decreti dogmata nosti,  
 Cui ratio vitæ est cognita tota meæ.

APPROPINQVET DEPRECA-  
 TIO MEA. 22.

Da Pater accessum precibus mitissime nostris,  
 Da mihi notitiam legis habere tuæ.  
 Conspectum patiare tuum mea vota subire,  
 Vtque es pollicitus me rogo solue malis.  
 Te mea lingua canens hilares soluetur in hymnos,  
 Iustitias dederis si mihi nosse tuas.  
 Tunc quoque dictorum reserabo occulta tuorum,  
 Nil æquum præter scilicet illa sonant.  
 Huc ades, & dignare manus afferre salubres,  
 Nam tua delegi iussa colenda mihi.  
 Et quoniam tua lex nostræ est meditatio mentis,  
 A te seruari, non aliunde peto.  
 Fac anima hæc viuat, laudes tibi grata reponet,  
 Hoc tua quo præstem cognita scita dabunt.  
 Tanquam ovis erraui pastori perdita, seruum  
 Quære tuum, legis sum memor vsque tuæ.

## ARGVMENTVM PSALMI CXIX.

*Conqueritur sese extorrem, patriq; carentem,  
Sedem fallaces inter habere viros.*

AD DOMINVM CVM

TRIBVLARER.

**A** Vxilium à Domino miseranda sorte grauata  
Dum peteret letam mens mea sensit opem.  
Eripias hominum labris me assertor iniquis,  
Et lingua structis insidiante dolis.  
Quid tibi contulerint fallacis spicula linguæ  
Impie, cuiue tuo fraus erit ista bono?  
Scilicet illa, viro ceu torta sagitta potenti est,  
Et velut euastans omnia flamma vorax.  
Hei mihi, quòd patria cogar regione carere,  
Et tanti spatio temporis exul agar.  
Tristia cum populis transmisi tempora Cedat,  
Longior exilij hinc fors mihi visa mei est.  
Inter rixosos, & iurgia sæua ferentes,  
Perpetuo custos tempore pacis eram.  
Si malè pacatis placida de pace loquebar,  
Mox sensi strictas in mea fata manus.

## ARGVMENTVM PSALMI CXX.

*Quàm pro sit nostris Domino bene fidere rebus,  
Multiplici Vates vtilitate probat.*

*Quam non consequitur, mundi quicunque fugacis  
Commoda sollicita mente petenda putat.*

LEVAVI OCVLOS MEOS

IN MONTES.

**A** Nxia in excelsos conieci lumina montes,  
Si veniat casus qui leuet inde meos.  
Sed mihi solus opem Dominus sponderq; feretq;  
Cuius sunt tellus, astraque facta manu.

Si

Si quoque ab exemplo disces bene fidere nostro,  
 Quisquis es, in solo spem que locare Deo:  
 Non titubare tuos gressus patietur, & haud sic  
 Dormiet, vt curam cesset habere tui.  
 Non sinet ignauo claudi sua lumina somno  
 Ifacidum custos peruigil ille domus.  
 Hoc tu custode, atque hoc protectore tegeris,  
 Quicquid ages, dextram diriget vsque tuam.  
 Non medio feruente die te Phœbus aduret,  
 Per noctem nec erit Luna molesta tibi.  
 Perpetuò est noxa te seruaturus ab omni,  
 Defensor vitæ certus vbique tuæ.  
 Denique erit custos æuum tibi fidus in omne,  
 Siue domi detur viuere, siue foris.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXI.

*A Domino fuerat profugo spes facta Propheta,  
 Fas fore sacratos rursus adire focos:  
 Utq; simul pulchra sedeat regnator in vrbe,  
 Sublimis celso conspicuusq; throno.*

## LÆTATVS SVM IN HIS.

**V**Ox allata mihi est, Domini gradiemur in eadē:  
 O quàm læta animo contigit illa meo!  
 Iam præ lætitia in portis mihi stare videbar,  
 Inclyta magnificis vrbs Solymæa tuis.  
 Egregiam cuius structura coarguit urbem,  
 Tam domui pulchræ est consociata domus.  
 Huc numerosa tribus, tribus huc numerosa Iacobi  
 Laudibus ascendit nomina ferre Dei.  
 Disposita hinc videas dando sedilia iuri,  
 Regia Davidico quæ nitet aula throno.  
 Huic vrbi cupidis pacem deprecate votis,

Sit



Sit felix ipsi quisquis amicus erit.  
 Vrbs Solymæa tuis habitet pax candida muris,  
 Atque beatarum copia abundet opum.  
 Cura propinquorum subigit, fratrumque meorum,  
 Carpere te fructus pacis ut vsque precer.  
 Præterea ipsa domus Domini sanctissima nostri  
 Nos optare tibi prospera cuncta facit.

ARGUMENTVM PSALMI CXXII.

*Ritu hominum pressorum odiis, & fraude maligna  
 Implorat Domini commiserantis opem.*

AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS.

**A**D te sollicitis animis mea lumina tollo,  
 Qui colis ætherei regna beata poli:  
 Ut dominos spectant, quos offendere, ministri,  
 Fundentes tacitas, ore silente, preces:  
 Utque etiam supplex nutus obseruat heriles,  
 Spe veniæ culpam fassa ministra suam:  
 Sic Deus vsque meæ mentis quoque lumina fixa  
 Detinet, optatam dum mihi præstet opem.  
 O miserere Deus, Deus ô miserere, vides ut  
 Spernimur, & viles, spreteque turba sumus.  
 En probris onerant animas peccare timentes,  
 Hi quibus alta placent, & quibus arca grauis.

ARGUMENTVM PSALMI CXXIII.

*In qua lapsus erat, discrimina tanta fuere,  
 Ut si non Domini dextra tulisset opem,  
 Oppressura virum fuerint: merito ergo referre  
 Grates pro tantis debuit ille bonus.*

NISI QVIA DOMINVS ERAT  
 IN NOBIS.

**N**Os nisi seruasset Domini tutela benigni  
 (Talibus Israël nunc sonet ore modis)

Nos

Nos nisi seruasset Domini tutela benigni,  
 Hostes cùm sæua nos petiere manu:  
 In sua nos forsan rapuissent corpora viuos,  
 Terribilis pavidas vt leo glutit oues.  
 Cumque in nos ruerent furioso pectore, nostrum  
 Flebile merfissent, seu grauis vnda, caput.  
 Nostra quidē est anima insanas trāsgressa procellas,  
 Torrentesque tulit salua minacis aquæ:  
 Sed tamen haud vlla fuerat tolerabilis arte  
 Tempestas, si non ille tulisset opem.  
 Laus igitur Domino debetur plurima, qui non,  
 Horum nos prædam dentibus esse, tulit.  
 Nostra anima elapsa est venantum nexibus, vt si  
 Aucupis attenti retia fallat auis.  
 Vincula rupta iacent laqueorum, nostraque vita  
 Est formidatis libera facta malis.  
 Restat opem vt nostram Domini statuamus in vno  
 Nomine, qui cęlos finxit, & omne solum.

## ARGVMENTVM PSALMI CXXIIII.

*Pectore qui didicit Domino considerare toto,  
 Immotus tanquam murus ahenus erit:  
 Nunquam fortunæ dubio iactabitur æstu,  
 Ast alios contrà pœna timenda manet.*

## QVI CONFIDVNT IN DOMINO.

**I**N Domino quicunque Deo, rerumque parente  
 Fidunt, atque suas spes animosque locant:  
 Nullis fortunæ quassati fluctibus illi  
 Immotæ stabiles more Sionis erunt.  
 Præualidos montes Solymen cinxisse videmus,  
 Et facere aggeribus tuta sit ipsa suis.  
 Sic quoque parte suos Dominus cõmunit ab omni,  
 Perpetuoque pia tempore vallat ope.

Nec

Nec sinet infestis prauorum viribus vnquam  
 Vltcrius, valeant quàm tolerare, premi.  
 Ne fors immodico superati fasce malorum,  
 Ad mala vertantur promoueantque manus.  
 Fac bene quæso Deus bonitatem corde sequutis,  
 Inque animis quorum non nisi recta sedent.  
 Nam qui facta suos obliquat ad improba sensus,  
 Hunc facies pœna fontibus esse parem.  
 Quod superest, tribue Abramidû Pater optime gēti,  
 Hanc foueat placidæ pacis vt alma quies.

ARGVMENTVM PSALMI CXXV.

*Grandia Thariada describit gaudia gentis  
 In patrias reducis de Babylone domos.  
 Sed quia tunc illic populi pars magna remansit,  
 Hinc quoque reliquias posse redire rogar.*

IN CONVERTENDO DOMINVS  
 CAPTIVITATEM.

**Q**UUM Deus omnipotens patrijs nos redderet  
 De capta abductos in Babylona Sion: (oris,  
 Vana videbantur primùm solatia, ceu quum  
 Per noctem falsi ludit imago boni.  
 Pòst veris nostra implebantur risibus ora,  
 Longo exultabat lingua soluta iugo.  
 Atronicæ gentes, patrij, dixere, fauoris  
 Signa Deus populo quàm dedit ampla suo?  
 Magnificauit enim certè sua munera nobis,  
 Lætitia hinc gerimus cõrda resecta noua.  
 Captiuos Deus ô reliquos in pristina coge,  
 Cogit vt in fossas humidus Auster aquas.  
 Qui mandant sterili lachrymantes semina terræ,  
 Sæpe exultantes plurima farra metunt.

illi

Illi indulgentes miserandis fletibus ibant,  
 Et sua ipargebant grana dolente manu.  
 Postmodo spe in terra tenuem superante, maniplo  
 Lætaque de pingui pectora messe ferent.

ARGUMENTVM PSALMI CXXVI.

*Nec domus est priuata, nec est respublica salua,  
 Ni tuus accedat nutus, & aura, Deus.*

*Idem suppeditas quidquid natura requirit,*

*Te sine nostra adeo præstat opella nihil.*

NISI DOMINVS ÆDIFICAUERIT.

**N**I Deus ædificet, vanos trahit ille labores,  
 Condere qui propria nititur arte domum.

Vrbem Marte tuo quod speres posse tueri,

Frustrâ est, ni custos excubet ipse Deus.

Nil opus ad solitos vobis prius ire labores,

Quàm reuehat nitido Lucifer ore diem.

Surgite cum iusta reparastis membra quiete,

Cura quibus miserum sufficit ægra cibum.

Quandoquidem somni ille suis indulserit vsu,

Corpora quo duro fessa labore leuent.

Quid, quòd læta etiam soboles generetur, id omne

Solius constat muneris esse Dei?

Ille facit grauidum fœtu turgescere ventrem,

Ille suo matris numine laxat onus.

Vtque sagitta viri manibus vibrata potentis

Præbet opem Domino, præsidiumque suo:

Sic soboles excussa malis, Superumque fauore

Tecta, erit auxilio præsidioque seni.

Felix ô genitor, cui quantumcunq̃ cupiuit,

Contigit istius prolis habere gregem.

Non confundetur, nec Iudicis ora timebit,

Dum mala composito crimine turba premet.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI CXXVII.

*Felicem quicumque cupis traducere vitam,  
Et summa rerum prosperitate frui,  
Pectore fac timido Domini mandata faceffas,  
Hunc animi pura simplicitate colens.*

BEATI OMNES QUI TI-  
MENT DOMINVM.

**F**elix ô Domini captus quicumque timore,  
Ipsius sanctas curat inire vias.  
Quisquis is es, sudor que tuus, manuum que labores  
Sufficient ori iusta alimenta tuo.  
Ac Domini nutu, vigili que beabere cura,  
De propria vt nequeas conditione queri.  
Ipsa tui consors thalami, ceu vitis abundans,  
Implebit dulci fertilitate domum.  
Pignora succrescent instar viuacis oliuæ,  
Et cingent mensam grata corona tuam.  
Ecce Deum talis sequitur fortuna timentem,  
Ista Deum merces rite colentis erit.  
Ille Sionæa tibi sic benedicat ab arce,  
Denique sic larga te bonitate beet:  
Vt felix Solymes florentis commoda cernas,  
Dum vitæ stabunt integra fila tuæ:  
Et cumulata nouo fœtu tua pignora semper  
Aspicias, generi pax sit & alma Iacob.

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI CXXVIII.

Collaudat Dominum, qui hostili robore longi  
Oppressus spatio temporis adfuerit.

Postulat & penas inimica vt turba reportet,  
Nec Deus hanc vlla prosperitate iuuet.

SÆPE EXPVGN AVERVNT.

SÆpe hostis primo nos oppugnauit ab æuo,  
(Isaaci grato concinat ore domus)

Sæpe hostis primo nos oppugnauit ab æuo,  
Conatu potuit nil tamen ille suo.

Nostra super varij fabricarunt terga nocentes,  
Temporaque vrsere hoc per spatiosa malum.

Sed iustus Dominus ceruices franget eorum,  
Mens quibus ad noxas, & malefacta vacat.

Illa pudore pedem referat suffusa retrorsum  
Turba, odiis dignam quæ putat esse Sion.

Sint herbæ similes tectis quæ crescit in altis,  
Irriguæ nullus quam fouet humor aquæ:

Quæ prius arefcit, quàm possis vellere, quàm que  
Agricolûm curua falce resecta cadat.

Quæ neque sufficiat dextras implere metentes,  
Vnde queat plenos nemo referre sinus.

Cui neque præteriens bene fauerit ore viator,  
Fælici, dicens, te Deus auctet ope.

Multiplici optamus fieri te fruge beatam,  
Idque per æterni nomina sancta Patris.

Q

ARGV-

## ARGVMENTVM PSALMI CX XIX.

*Ora preces imo deductas pectore promunt,  
Mens pauet offensi Iudicis ic̄ta metu.*

*Sed tandem Domini pietas bene cognita, Vatem,  
Oranti facilis quæ solet esse, leuat.*

## DE PROFVNDIS CLAMAVI.

**E** Scelerum tetra quæ me demersit abyſſo  
Tē Deus inclamo, suscipe vota Deus:  
Ac pius exaudi, precibusque inflectere nostris,  
Soliciti timida quas tibi voce damus,  
Si Domine instituas nostros expendere lapsus,  
Si tua parratis par erit ira malis,  
Si iubeas vindex pēnas quascunque meremur  
Soluere, quis tandem sustinuisse queat?  
Maxima sed pietas tibi, qua placabere nobis,  
Inque tuos nunquam non pius esse potes.  
Vnde ego non dubiam patiens expecto salutem,  
Fretus diuino legibus ore datis.  
Illius è verbo surgit fiducia menti  
Multa meæ, in Domino spem que locare iuuat.  
Solis ab exortu nocturnas vsque tenebras,  
Hinc iterum lucis tempus ad vsque nouæ,  
Iugiter Israël Domino confidere curet,  
Illius expectans non dubitanter opem.  
Multa apud hunc bonitas facilisque remissio noxæ,  
Oppressosque graui cura leuare iugo.  
Ipse Israëlī pēnam, culpasque remittet,  
Et scelerum clemens omne leuabit onus.

ARGV-

## ARGUMENTVM PSALMI CXXX.

*Cavit se fastu Vates efferre superbo,  
Scilicet ingratum hoc nouerat esse Deo.  
Talis erit quicumq; illum sibi poscet amicum,  
Ut de se nunquam sentiat alta nimis.*

## DOMINE NON EST EXALTATVM.

**Q** Vi cæcas hominũ latebras atque intima solus  
Cernis, & arcani pectora quicquid habent:  
Non mihi fastu vnquam tumerunt corda superbo,  
Nec plusquam par est lumina celsa tuli.  
Non ego ventosus stulta ambitione petiui  
Quàm sinerent vires vltiora meæ.  
Si inflatos animos in me, sensusque notasti,  
Si fuit aut mea mens fortè modesta parum:  
Ut puer ante diem materno à lacte remotus  
Eiulat, & solitæ languet egenus opis,  
Sic quoque stultitiæ cogar deflere reatum  
Languidus, & misera conditione premi.  
Restat vt Israël Domino bene fidat, & istud  
Propositum seruet tempus in omne suum.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXXI.

*Vota sua hic memorat Vates, Dominoq; paranda  
Quanta sibi fuerit sollicitudo domus.  
Christigenum porrò cæcum domus ista figurat,  
Christus vbi æterno tempore regna tenet.*

## MEMENTO DOMINE DAVID.

**D** Auidis mêmor esto Deus, mêmor esto labores  
Quàm leni tulerit pectore sæpe graues.  
Iurarat Domino se voto obstringere, fecit,  
Nec iuramento passus abesse fidem est.  
Vouit enim non ante suos intrare pœnates,  
Fessa nec assueto membra locare toro;

Q 2

Lumini-



Luminibus gratum non indulgere soporem,  
 Temporibus requiem nec dare velle suis;  
 Area quàm Domini sacris inuenta fuisset,  
 Aptaque numinibus templa Iacobe tuis.  
 Ecce Effratæis statuenda accepimus oris,  
 Sunt in siluosis illa reperta locis.  
 Ergo dehinc alacres Domini delubra petemus,  
 Eius adorantes scamna, basesque pedum.  
 Surge Deus, requiemque tuam rogo dexter inito,  
 Et sacri tecum fœderis arca simul.  
 Imbue iustitia mystarum corda tuorum,  
 Sancta que lætitiâ pectore turba gerat.  
 Davidisque pij si quicquam nomina possunt,  
 Ne precor à Christo lumina verte tuo.  
 Iurasti certè verbis veracibus illi,  
 Nec falles, pacti hæc verba fuere tui:  
 Te genitore satus patrium diadema tenebit,  
 Inque tua stirpem sede locabo tuam,  
 Si seragent seruare tui mea fœdera nati,  
 Quæque ipsis posthac iura tenenda dabo.  
 Hæc eadem tanget si fors quoque cura minores,  
 Quos illi à sera posteritate ferent:  
 Semper erit de gente tua, qui scepra gubernet  
 Regia, & obtineat quæ modò fulcra tenes.  
 Nempe Sionem præ terris omnibus arcem  
 Delegit Dominus, quam coluisse iuuet.  
 Hic requiem capiam per sæcula cuncta, morasque  
 Hic(inquit) figam, hæc mansio lecta mihi est.  
 Hinc ego cœlesti annonam cumulabo fauore,  
 Hinc inopum largo pane leuabo famem.  
 Cura sacerdotes mihi erit vestire salute,  
 Utque pius læto pectore cœtus ouet.

Illic

Illic Davidis se faxo potentia tollat,  
 Splendeat & Christo clara lucerna meo.  
 Insuper osorum, qui que ipsi cumque resistunt,  
 Infami vindex ora rubore tegam.  
 At genus illius crinem florente corona  
 Induet, & sacro cinget honore caput.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXXII.

*Hinc quantum valeat fratrum concordia, quantum  
 Conferat, utq; Deo grata sit illa, vides.*

ECCE QVAM BONVM, ET.

**O** Quàm plena boni res est, ô quanta voluptas,  
 Vnanimi fratres pace habitare simul!  
 Non vnguenta iuuant melius, quæ vertice fusa,  
 Inque genas Aaron, barbitiumque fluunt,  
 Inde sacræ extremas ipsius vestis ad oras  
 Distillant, toto vt corpore fragret odor.  
 Vtque iuga Hermonij fecundat rosidus humor,  
 Frugiferumque cadens esse Siona facit:  
 Sic quorum fraterna sedet concordia menti,  
 Instar agri lætè fructificantis erunt.  
 Namque vbi fraternos animos pax alma ligauit,  
 Pectore vbi placido fœdere iunxit amor,  
 Huc Domini pleno veniet benedictio cornu,  
 Hic dabitur vita non pereunte frui.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXXIII.

*Laudibus hortatur Domini inuigilare ministros,*

*Te tamen ante alios ista, Leuita, monent.*

ECCE NVNC BENEDICITE

DOMINVM.

**E** la, omnis celebri gratoque encomia cantu  
 Concine nunc Domino turba ministra tuos  
 Q; Præcipue

Præcipuè Domini sacra qui statis in æde,  
 Et queis fas adyta est, iusque subire, datum.  
 Ad loca sancta manus per opacæ tempora noctis  
 Tendite, cumque pia fundite laude preces.  
 Ista peracturo faueat tibi ab arce Sionis,  
 Qui fecit cælum, terraque cuius opus.

ARGUMENTVM PSALMI CXXXIIII.

*Hic quoque laudari rerum debere Parentem  
 Admonet, à quo sunt sidera, terra, fretum,  
 Qui pius Ebreos benefactis inuit, & auxit,  
 Vsq̄e suis letam ferre paratus opem.*

LAVDATE NOMEN

DOMINI.

**P**Rincipis ætherei celebri pia nomina laude  
 Dicite, pange Deo turba ministra tuo.  
 Vos quoque sacrifici, Domini delubra colentes,  
 Qui datis in calidos viscera sacra focos,  
 Insignem bonitate Deum laudate, suaue  
 Ipsius vestro nomen ab ore sonet.  
 Scilicet Abramidas proprios sibi sponte dicauit,  
 Legit & in sortem semper habere suam.  
 Esse equidem magnum maiestatisque supremæ  
 Agnosco, & cunctos exuperare Deos.  
 Omnia quæ voluit, summa virtute peregit,  
 Seu cælo, terra, siue creata mari.  
 Tamque nihil pelago latet, aut tellure repostum,  
 Quod non ipsius composuere manus.  
 Nubila ab extremo terrarum educere nouit,  
 Fulminaque è mediis deiaculatur aquis.  
 Quum lubet, expromit ventorum flamina gazis  
 Clausa suis, & mox per loca iussa volant.

Qui

Qui primis Ægypte tuis hominum, pecudumque  
Fetibus inuexit pignoribusque necem.  
In mediam sua signa Pharon portentaque misit,  
Te contra, & famulos sæue tyranne tuos.  
Qui multas strauit præstanti robore gentes,  
Compulit & validos in sua fata duces.  
Vicit Amorrhæi tractantem sceptrâ Sehonem,  
Quique Basanigenis imperitabat Ogum.  
Quotquot erant etiam Cananea regna tenentes,  
Vicit, & à victis clara trophæa tulit.  
Horum autem terras & culta noualia seruo  
Contulit Isacidæ semper habenda suo.  
Iure igitur nomen Deus ô celebrabitur omni  
Tempore, & æterno viuet honore tuum.  
Iudicio quoniam populum moderaberis æquo,  
Et placida in seruos mente eris vsque tuos.  
At simulacra colunt gentes fabricata metallo,  
Vanaque mortali numina facta manu.  
Ora gerunt certè, sed nullis apta loquelis;  
Lumina, sed quæ nil cernere cæca queant.  
Stant aurita, datas nequeunt comprehendere voces;  
Nec quo respirent halitus vllus inest.  
His fiant similes faciunt qui talia fabri,  
Quisquis & à tali numine sperat opem.  
At genus Israël Domino benedicite vestro,  
Tu quoque ab Aronis stirpe profecta domus.  
Leuitæ meritas Domino persoluite laudes,  
Quique pio colitis numina tanta metu.  
Gloria summa Deo, celsæ qui templa Sionis  
Incolit, & Solymis ardua tecta tenet.

## A R G V M E N T V M P S A L M I C X X X V .

*Carmina ferte Deo, cuius miseratio in auum est:*

*Qui regit arbitrio cuncta creat a suo:*

*Qui Pharia regione potens eduxit in agros*

*Præpingues populum grataq; tecta suum.*

C O N F I T E M I N I D O M I N O Q U O -  
N I A M B O N V S .

**T**ollite laude Deū, quoniā bonus ipse, piusq; est,  
Eius enim pietas sine modoque caret.  
Eximium bonitate Deum celebrate deorum,  
Submittunt summi cui sua scepra duces.  
Qui præstante manu rerum miranda peregit,  
Et cęlos artis dexteritate suæ.  
Qui super equoreos terram consistere fluctus  
Fecit, & ingentes luce nitere globos.  
Qui solem iussit pronis fulgere diebus,  
Et lunam & stellas noctibus esse faces.  
Qui Pharios affixit agros, gentemque rebellem,  
Cum primo genitis omnibus vsque pecus.  
Qui genus Israël medio subduxit ab hoste,  
Vt vsus vi dextræ, roboribusque suæ.  
Qui mare Erythræum partes diuisit in ambas,  
Et media Isacidis per vada strauit iter.  
Hic Pharaonis opes fregit, currusque rotasque  
Armaque subuertens, quicquid & eius erat.  
Per deserta fuit nostris & inhospita ductor:  
Vtque forent ipsis libera cuncta metu,  
Perdidit Heroas magnos, fortesque Monarchas,  
Et cunctas horum dilacerauit opes.  
Strauit Amorrhæos ferro, regemque Senna,  
Quique Basanorum regna tenebat Ogum.

Prædia

Prædia at ipsorum Dominus viduata ministro,  
 Tradidit Israël distribuenda suo.  
 Rebus in angustiis qui nos respexit amico  
 Lumine, & assertor fortis ab hoste tulit:  
 Qui largè præbet cunctis animantibus escas,  
 Nostraque ab vrgenti liberat ora fame.  
 Ergo Deus meritæ laudis celebretur honore,  
 Qui tenet ætherei lucida templa poli.  
 Eia alacres Dominum Dominorum voce sonora  
 Dicite, qui nunquam desinet esse pius.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXXVI.

*Gens Hebræa refert tristes captiua querelas,  
 Raptâq; de patriis in Babylona focis:  
 Postulat auxilio Domini sua vincla resolui,  
 Postulat vlticem posse videre manum.*

## SUPER FLUMINA BABYLONIS.

**F**Inibus abducti patrijs Babylonis ad amnes,  
 Et super irriguas dum residemus aquas;  
 Chara Sion, quoties nobis tua imago subibat,  
 Fleuimus, & toties immaduere genæ.  
 Musica de salicum pendebant organa ramis,  
 Et penitus nostræ conticuere fides.  
 Interea quæ nos rapuit gens barbara, vestri  
 Ne pigeat cantus verba referre, rogat.  
 Carmina, mox alij, proferte Sionia nobis,  
 Qualia vos patria concinuisistis humo.  
 Siccine nos Domini præconia sacra canentes,  
 Audiat à nostro terra aliena Deo?  
 O dulces Solymæ si in vos deliquero tantum,  
 Vt non sim vestri tempus in omne memor:  
 Immemor ipsa sui dediscat pfallere nostra  
 Dextera, & argutæ fiat inepta lyræ.

Q 5

Sicca

Sicca hærens sicco torpescat lingua palato,  
 Nec queat ad solitos utilis esse modos,  
 Ni plus me cruciet diris prostrata ruinis  
 Vrbs mea, quàm vt lætæ gaudia vocis agam.  
 Magne Pater diuum, gentis reminiscere Idumes,  
 Quàm fuerit Solymis perniciofa tuis.  
 Eruite, eruite, & cuncta exhaurite, sonabant,  
 A fundo donec tota reuulsa cadat.  
 Ne gratate tuo Babylon miseranda furori,  
 Tu quoque crudeles experiere manus.  
 Ille beatus erit, qui tandem mutua reddet  
 Damna tibi, cladis retribuetque vicem.  
 Felix ille tuos pueros qui allidet acutis  
 Cautibus, atque horum sanguine sparget humum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVI.

*Se multum debere Deo hoc sermone fatetur,*

*Et toto grates pectore letus agit.*

*Laudat ab ingenti, & solita pietate, fideq̄,*

*Quo fretus deinceps nulla pericla timet.*

CONFITEBOR TIBI DOMINE

IN TOTO.

**I**N laudes æterne tuas Deus ora resoluam,  
 Idque animi quantum vis queat vlla mei.  
 Nam te sollicita quoties sum voce precatus,  
 Hausisti voces aure fauente meas.  
 Angelico coram cętu psallam tibi, teque  
 Ad tua conuersus templa sacrata colam.  
 Diuinumque tuum nomen, laudabile nomen  
 Perpetuò nostræ cantio vocis erit.  
 Hoc tua namque fides ingens, pietasque meretur  
 Hoc bona pollicitis vberiora tuis.

Hinc

Hinc etiam super omne quod est toto Orbe creatū,  
 Magnus venit splendor in ora tuus.  
 Auxilium, quacunque die te in vota vocaro,  
 Aversa misero ne precor aure neges.  
 Sic animosa meo virtus in corde resurget,  
 Et multo deinceps robore fortis ero.  
 Terricolæ tollent multa te laude tyranni,  
 Sermonis moti cognitione tui.  
 Cantabuntque vias Domini, simul ore sonantes:  
 Ingens est Domini gloria, grande decus;  
 Arce sedens excelsa humiles blando aspicit ore  
 Cominus, à longe corda sed alta notat.  
 Per medios hostes, & mille pericula vadam,  
 Te duce, nil noxæ vis inimica dabit.  
 Quippe tua illorum cohibebit dextra furores,  
 Quæ tulit antè mihi sæpe salutis opem.  
 Pro me confurges vltices iustus in iras,  
 Et perages causam sedulus ipse meam.  
 Quum tua sit pietas omni durabilis æuo,  
 Ne Deus oro tuæ despice plasma manus.

## ARGUMENTVM PSALMI CXXXVIII.

*Heu quid designas, animo seu voluis in imo,  
 Erras, si reris posse latere Deum.*

*Testibus ille videt quamuis patrata remotis,  
 Et tacitus tecum quid meditare, notat*

DOMINE PROBASTI ME,  
 ET COGNOVISTI.

**O**Mnipotens rerum Domine, atq; æterne Mo-  
 narcha,

Regia cui cæli paret, & omnis humus:  
 Tu mea pertentas oculo præcordia acuto,  
 Arcanumque mei pectoris omne tenes, ...

Seu



Seu sedeo, aut rursum referens vestigia, surgo,  
 Semper ades præsens, aspiciorque tibi.  
 Quin meditata mihi pectus ventura sub imum  
 Quàm subeant, longè tu prius illa vides.  
 Vestigantque meos etiam tua lumina gressus,  
 Atque vbi sim fessum depositurus iter.  
 Denique nulla meæ tibi pars incognita vitæ est,  
 Sed neque vel minimus lapsus ab ore sonus.  
 Omnia facta vides, & quæ facienda sequentur,  
 Res neque notitiam præterit vlla tuam.  
 Iam quantum est, corpus mihi te, formamque; dedisse,  
 Et seruatrices imposuisse manus?  
 Admiranda tua est, superatque scientia captum,  
 Nec tam sublimem fas mihi mente sequi.  
 Ergo tuæ nobis si spiritus ingruat iræ,  
 Quò ferar, aspectus quò fugiamue tuos?  
 Si fors euadam celeri super ardua cursu  
 Sidera, præsentem te domus illa videt.  
 Nigra vel institutam descensu Tartara adire,  
 Et locus hic numen sentit adesse tuum.  
 Si de mane petam volucris maris vltima penna,  
 Atque inibi tutas coner habere moras:  
 Me tua certè illuc fugientem dextera ducet,  
 Deprenderaque miser, corripiarque tibi.  
 Dixero, ne veniam Domini sub lumina, forsan  
 Obscuræ tectus munere noctis ero;  
 Deliciisque fruar furtim securus opacis,  
 Nocte sed aspiciar non minus atque die.  
 Nec tenebræ noctisue tuis aspectibus obstant,  
 Haud secus, ac medias Sole tenente vias.  
 Te prope vtrumque fluit nullo discrimine tempus,  
 Et splendore nitent noxque, diesque pari.

Et

Et quum possideas renum secreta meorum,  
Omnia senta oculis sunt mea nuda tuis.  
Tu me excepisti grauida genitricis ab aluo,  
Ex illoque tibi tempore cura fui.  
Ergo meo auctori dicam pia carmina, cuius  
Terribili bonitas magnificata modo est.  
Attonitum generant animis tua facta stuporem,  
Tam referunt miram scilicet illa manum.  
Id quod & impense mea mens agnoscit, & vsque  
Gaudebit tanti numinis esse memor.  
Corporis ossa mei numero comprehensa tenebas,  
Sub malè perspicuo viscere tecta licet.  
Iamque tibi plena cernebar imagine notus,  
Quum rudis in luteo corpore massa forem.  
Nondum forma mihi fuerat perfecta, videbar,  
Inque tuo totus codice scriptus eram.  
Qualia quæque dies daret incrementa, sciebas,  
E membris nec erant vlla creata meis.  
Propterea summum decus accepisse putabo,  
Sincero quisquis iunctus amore tibi est.  
Talibus accedet per te cumulata potestas,  
Et facies ipsos regibus esse pares.  
Quorum complecti numerum qui certet, arenam  
Veluoli citius computet ille maris.  
Propterea vitijs mea mens immersa, seipsam  
Extulit, in charis permaneoque tuis.  
O si festines iusto punire scelestos  
Exitio, & plenos impietate viros!  
Crudeles fugite hinc polluti sanguine dextras,  
Non mihi vobiscum vita, vel vsus erit.  
Dicitis hæc taciti, teneant sine ciuibus vrbes  
Æthereas, vana spe capiantque domos.

Nonne

Nonne tuos hostes hostili mente petebam,  
 Non mihi tabifici caussa doloris erant?  
 Hos perfecto odio Deus indignatus habebam,  
 Meque adeò infestum talibus esse iuuat.  
 Explora, atque meos penitus scrutare recessus;  
 Inspicias studium quale sit omne meum:  
 Excute an inueniar factis iniusta sequutus,  
 Meque per æternas ducito quæso vias.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIX.

*Insidias contra hostiles, contraq; Doëgum,  
 Et quos armarat lingua dolosa viros,  
 Orat opem, spondens aliquando tetra futurum  
 Vt Deus euertat monstra, leuetq; pios.*

ERIPERE ME DOMINE AB  
 HOMINE.

**H**Vc ades, & fonti Deus ô me surripe turbæ:  
 Soluat ab iniustis me tua cura viris,  
 Qui scelus, & cæco fraudes sub pectore versant,  
 Et mihi quotidie prælia sæua mouent:  
 Quorum sunt factæ serpentum spicula linguæ,  
 Inque suo virus aspidis ore gerunt.  
 Seruet ab hostili tua me custodia dextra,  
 Et prædam fieri ne patiare malis,  
 Infidiis etenim nostros subuerrere gressus,  
 Et laqueis certant implicuisse pedes.  
 Iamque tetenderunt cecos in retia funes,  
 Quaque iter est nobis, occuluere plagas.  
 Sed mihi tu Deus es, cui fas confidere, dixi,  
 Tu mea sollicitæ suscipe verba precis.  
 Tu Deus, atque meæ Dominus, roburque salutis,  
 Sæpe meum texti Marte premente caput.

Impia

Impia fac horum successu vota secundo  
 Frustrantur, tacita nam petor arte neci.  
 Nec me linque precor, ne læti cornua sumant,  
 Atque ipsis iurgat spiritus inde ferox.  
 Inque ducem redeant turbæ maledicta nocentis,  
 Et pereat linguæ fructibus ipse suæ.  
 Ast illos iactis cælo carbonibus ure,  
 Atque adige in flammæ, quæ sine fine coquant.  
 Prospera mortales fugiet fortuna dicaces,  
 Et manet iniustos vltima pœna viros.  
 Ast inopum Domino superabit iudice causa,  
 Tutus & hoc ipso vindice pauper erit.  
 Et tua laude Deus celebrabunt nomina iusti,  
 Fasque erit his vultus ante manere tuos.

ARGUMENTVM PSALMI CXL.

*Stare sibi Vates mentem diuinitus optat,  
 Quam scelus offendat, quam pietasq; iuuet.  
 Vitet vt ipse malos opibus quamcunque potentes,  
 Et quamuis tenues pergat amare bonos.*

DOMINE CLAMAVI AD  
TE, EXAUDI ME.

**A**D te voce feror, nostrâ Domine accipe vocem,  
 Nec tibi sit querulas spernere velle preces.  
 Sic tua conspectus veniat vox grata sub istos,  
 Thuris vt acceptus surgit ab igne vapor.  
 Tam mihi felices tollantur ad æthera palmæ,  
 Victima quàm Phœbo grata cadente cadit.  
 Tu mea constringas adductis ora lupatis,  
 Firmiter & labris obde repagla meis.  
 Effice, ne mens hæc prauum malè sana sequatur,  
 Neu mea prætexta crimina nube tegam.

Haud

Haud me sustineam turbæ sociare scelestæ,  
 Aut eius mensa, deliciisq̄ue frui.  
 Pertulerimq̄ue magis iusti pia verbera, quàm mî  
 Impius vnguenti tingat odore caput.  
 Istorumq̄ue adedò placitis obstabo precando,  
 Ne rata sint votis efficiamq̄ue meis.  
 Præcipites horum proceres de rupe ferantur  
 Saxosa, sceleris damna luantq̄ue sui.  
 Consilia vt faciles admittant sana per aures,  
 Dulciaq̄ue inueniant vt mea verba fidem.  
 Ossa, eheu, duro scinduntur vt arua colono,  
 Sic mea fracta iacent, meq̄ue prope Orcus habet.  
 Sed mea quandoquidem te solum lumina spectant,  
 Et quum sis animi spes quoque sola mei:  
 Te precor, ô miseri dubiam defende salutem,  
 Et mea propositæ subtrahe colla neci.  
 Sit tua, ne laqueis capiar, custodia præsto,  
 Præuorum noceant scandala nulla virûm.  
 Retibus his fontes potius capiantur: at omni  
 Perficiam solus casse solutus iter.

ARGVMENTVM PSALMI CXLII.

*Quum sibi nulla non discrimina parte videret,  
 Atque strui capiti damna dolosa suo:  
 Ad Dominum mæstas transmittit voce querelas,  
 Et sibi succurri vota per ista rogat.*

VOCE MEA AD DOMINVM

CLAMAVI.

**S**olicito Dominum supplex clamore vocavi,  
 Sum Dominum mæsta voce precatus opem.  
 Eius in aspectu tristes effundo querelas,  
 Et casus ipsum prosequor ante meos.

Spiritus

Spiritus hic noster luctu confectus amaro  
 Liquitur, & solito robore cassus hebet.  
 Quam pia præteritæ fuerit mihi semita vitæ,  
 Cognitius quicquam nil queat esse tibi.  
 Attamen immeritis posuerunt retia plantis,  
 Et laqueis nostras impediere vias.  
 Quumque ego respexi partes conuersus in omnes,  
 Qui miserum vellet noscere nullus erat.  
 Spes omnis sublata mihi perijtque refugî,  
 Nec quem cura mei cœperit vllus adest.  
 Hoc fuit vt magna dicendum voce putarem:  
 Vnica, dum viuam, spes mea, parsque mea es:  
 Quare age non duras aures aduerte precanti,  
 Est etenim mea fors attenuata nimis.  
 Hostis ab insidijs ô nos bonus affere: namque  
 Viribus in nostrum conualuere caput.  
 Exime funesto dubiam de carcere vitam,  
 Lingua tibi vt laudes libera facta canat.  
 Quippe mihi ancipites aduertunt lumina iusti,  
 Conspicua donec me releuaris ope.

## ARGVMENTVM PSALMI CXLII.

*Poscit opem dabitio versans discrimine David,  
 Vtq; sit infesto tutus ab hoste rogat.  
 Credibile est ipsum rabiem fugitasse Saulis,  
 Sollicito tales cum dabat ore sonos.*

## DOMINE EXAUDI ORATIONEM.

**M**E Domine exaudi timida te voce rogansem,  
 Excipiasque meas aure patente preces.  
 Iustus es, inque tuis verax sermonibus: aures  
 Ergo tuas votis obsecro pande meis.

R

Contemti

Contempti officij caussam ne dicere cogar,  
Deprecor examen, iudiciumque tuum.  
Nam si nostra voles punire errata seuerè,  
Cunctaque iustitiæ pendere lance tuæ;  
Nullus erit, vitio qui sit purgatus ab omni,  
Et te non aliquis Iudice iustus erit.  
En, Deus, impendet nostris ceruicibus hostis  
Impius, intentans persequiturque necem.  
Ipse meæ in terram proiecit tempora vitæ,  
Et speciem mortis corpora nostra gerunt.  
In loca me fecit miserum tenebrosa subire,  
Quæ nulla aprici lumina Solis habent:  
Vix vbi dissimilis vitali munere functis  
Transmitto vitæ tempora acerba meæ.  
Quare solliciti surgunt in mente labores,  
Et mea non modicus pectora fluctus agit.  
Verùm ego cùm repeto veteris monuméta fauoris,  
Et tua sub prisco tempore facta memor,  
Tollere non dubitem duplices ad sidera palmas,  
Auxiliumque humili sollicitare prece.  
Hinc velut ardenti tellus quæ feruet ab æstu  
Te Deus irrigui postulat imbris opem:  
Sic animus sitiens, & iam pia munera longè  
Expectans, oculos tollit ad astra suos.  
Rumpe moras igitur, nostrisque aduerte querelis,  
Spiritus in nobis qui fuit omnis abest.  
Ne vultus auerte tuos: si feceris, illis  
Par fuero, nigri quos capit vmbra lacus.  
Blanda mihi veniat pietas tua mâne sub aures:  
In te spes etenim tota reposita mea est.  
Iamque viam monstres, mea quam vestigia seruent,  
Qua gradiar nullo, liber ab hoste, metu.

De

De te animus noster pendet, mea lumina tollens  
 Ad tua sollicita limina mente feror.  
 Quæso agè tolle metû, me que hoc discrimine solus  
 Hostili, duris eripiarque malis.  
 Nam tua, dum conor dubiis me auferre periclis,  
 Numina sunt nostræ portus, & aura fugæ.  
 Ut peragam tua scita doce, tua iussa faceflam,  
 O Deus, es solus tu mihi namque Deus.  
 Spiritus iste tuus deducens tramite certo  
 Me, precor, in tuta fac regione locet.  
 Meque iterum stabili digneris reddere vitæ,  
 Nominis immensi pro ratione tui.  
 Et quia iustitiæ summa est tibi cura tuendæ,  
 Hanc animam luctu diseruciante leua.  
 Denique perde tua hostiles pietate cateruas,  
 A quibus indigna conditione premor.  
 Quique grauant animam hanc, cumulantq; labori-  
 bus, omnes  
 Subuertas, quoniam sum tibi seruus ego.

## A R G V M E N T V M P S A L M I C X L I I I .

*Auxilio cuius superatos contudit hostes,  
 Et de felici Marte trophæa tulit,  
 Huic meritas lata grates cum laude rependit,  
 Utq; suam perstet ferre precatur opem.  
 Vana simul monstrat præsentis gaudia vitæ,  
 Et felix dici quis tibi iure queat.*

B E N E D I C T V S D O M I N V S  
D E V S M E V S .

**G**ratia, lausq; meo Domino dicenda, Deoque,  
 Martia qui nostras addocet arma manus.

R 2

Cuius



Cuius ego immensæ viuo pietatis alumnus,  
Qui mihi confugium, tutaque ab hoste salus,  
Quo tregor vt clypeo, mea quo spes nititur vno,  
Qui mihi dat populo dicere iura meo.  
Quid fuit vt velles Domine innotescere nobis?  
Quidue homo, quem tanto ducis habere loco?  
Scilicet hic res est longè vanissima rerum,  
Cuius vita velut somnus & vmbra fugit.  
Descende, inclina cælos, montesque superbos  
Percute, & exurget fumeus inde vapor.  
Disperdasque meos vibratis ignibus hostes,  
Fac tua tela volent, mox sua terga dabunt.  
Dextram mitte polo, & duris me surripe rebus,  
Quæ tanquam liquidæ multiplicantur aquæ.  
Affere me illorum quæso de prole furenti,  
Quorum sunt legis nescia corda tuæ.  
Nil præter nugas & inania verba loquuntur,  
Artificesque manus impietatis habent.  
Sic tibi lata nouæ referam præconia laudis,  
Perque canet denas te mea dextra fides.  
Qui seruas Reges, qui Dauid ab hoste maligno  
Subduxti prompta sæpe vocatus ope.  
Macte rogo auxilio, atq; hominû me subtrahe natis,  
Mens quibus à placitis est aliena tuis.  
Qui mera fallaci promunt mendacia lingua,  
Quique gerunt habiles ad malefacta manus.  
Quorum sic tenero proles succrescit in æuo,  
Surgit vt in pingui planta nouella solo.  
Quorum compositæ vultu cultuque puellæ  
Parte nitent omni, dicere templa queas.  
Quorum sunt opibus cellaria plena repostis,  
Et genus eructant largiter omne cibos.

Lanige-

Lanigerum genus immenso progerminat auctu,  
 Plena trahunt crasso corpore plaustra boues.  
 Hostica nulla vident murorum damna ruentum,  
 Non strepitum turbæ prætereuntis habent.  
 Nec plateas quisquam turbat clamore molesto,  
 Multa que pax rerum, semper & alta quies.  
 Felices quibus hæc adsunt dixere, bonique  
 Hos intra fines constituere modum.  
 Cui Pater omnipotens Deus est, verè ille beatus,  
 Inque pio cuius pectore regna tenet.

## ARGUMENTVM PSALMI CXLIIII.

*Materiam quisquis laudandi numinis optas,  
 Hinc pete, vix alibi copia larga magis.  
 Namque tibi Dominum prægrandi buccinat ore,  
 Carmen & immensas in breue cogit opes.*

EXALTABO TE DEVS  
MEVS REX.

**L** Audibus attollam te mi Deus, atq; Monarcha,  
 Laudabo nomen tempus in omne tuum.  
 Elogio mihi nulla tuo lux ibit inanis,  
 Decantator ero nominis vsque tui.  
 Magnus es, atque ideo lingua celebrandus ab omni,  
 Nam mensura tui sine modo que caret.  
 Postera quinetiam series tua facta nepotum  
 Concinet, & vires asseret ore tuas.  
 Magnificum que decus quod habes bonitatis amice,  
 Quæ que stupenda patras, dulce erit illa loqui.  
 Suavis item plenis dicetur gratia buccis,  
 Quæ cumulata tibi, summa que semper adest.

R 3

Et

Et quia res adeò iusta ratione gubernas,  
 Posteritas eadem gaudia mentis aget.  
 Magna Dei in fontes pietas, patientia magna:  
 Impiger ad veniam, multus & esse solet.  
 Suaue bonum cunctis, eius miseratio in omne  
 Quod sua produxit dextera, fertur opus.  
 Te celebrent igitur Domine ò quæcunque creasti,  
 Te laudent sancti quo decet ore tui.  
 Iure canant, quàm magna tui sit gloria regni,  
 Quanta potestatis vis sit vbiq; tuæ.  
 Quo tua cognoscant venturæ roboras gentes,  
 Imperij quantum possideasq; decus.  
 Quod tibi mansurum est per sæcula cuncta, nec quo  
 Quamlibet annoso succubuisse queat.  
 Stant solida tua verba fide, nec fallere norunt,  
 Et sanctus factis nosceris esse tuis.  
 Nutantum lapsus prohibes, fulcisq; ruinam,  
 Prostratosq; solo, si cecidere, leuas.  
 Ad te versa gerunt animantes lumina quæque,  
 Vt capiant vitæ iusta alimenta suæ.  
 Vota nec illarum frustra finis esse, sed apto  
 Munificus vescas tempore promis opes.  
 Nempe manus aperis faciles, semperq; benignas,  
 Multiugisq; repleas cuncta animata bonis.  
 Iustitiam Dominus facto testatur in omni,  
 Inq; suo sanctum sese opere vsq; probat.  
 Omnibus ille prope est, præstoq; vocâtibus ipsum,  
 Ipsum non ficto si tamen ore vocent.  
 Ille voluntates horum dabit esse secundas,  
 In quibus ipse sui viderit esse metum.  
 Excipietq; preces, si quando vocabitur illis,  
 Salvificamq; ad eos porriget inde manum.

Et

Et quisquis Domino meritum præstabit amorem,  
 Ipsa custodem re sciet esse suum.  
 Contrà qui peragunt fontem per crimina vitam,  
 Illos disperdet, nec finet esse super.  
 Ergo Dei laudes mea vox sine fine loquetur,  
 Officium cunctæ sit quoque carnis idem.

## ARGUMENTVM PSALMI CXLV.

*Qui sapias, humanis fugias spes ponere rebus,  
 Et soli toto pectore fide Deo.  
 Auxiliij siquidem nil certi fluxerit illinc,  
 Semper ab hoc solita est certa venire salus.*

LAUDA ANIMA MEA  
DOMINVM.

**E**la anime, æterno dicas encomia Regi,  
 Illius à nostro personet ore decus.  
 Dum viuam, Dominum celebrabo, terminus idem  
 Psallendique mihi, lucis & huius erit.  
 Parcite principibus mortali stirpe creatis  
 Fidere, non norunt ferre salutis opem.  
 Namque homines cùm sint, vitalis deseret illos  
 Spiritus, inque suam corpus abibit humum.  
 Tunc modò quæ fuerant ipsis meditata, repente  
 Irrita, successu deficiente, cadent.  
 Porrò autem titulum verè gerit ille beati,  
 Cui tuus auxilio est ô Iacobe Deus:  
 Qui Domini certus bonitati fidit, & omnes  
 Spes in eum potuit composuisse suas:  
 Qui mare, qui cælum, qui terræ condidit orbem,  
 Et quidquid cælum, pontus & orbis habet.

R 4

Cuius

Cuius in omne fides conſtanter permanet æuum,  
 Nec queat hanc vlla deſuiſſe die.  
 Vindice qui dextra releuat non iuſta ferentes,  
 Oraque largitis paſcit egena cibus.  
 Ille potente manu nexorum vincla relaxat,  
 Et cecos vſum lucis habere facit.  
 Eliſos Dominus iuuat, & tellure iacentes  
 Erigit, & iuſtos iuſtus amore fouet.  
 Hinc peregrinus opem duris capit aduena rebus,  
 Orphanus, & vidua hinc dulce leuamen habent,  
 Aſt opera illorum qui turpi crimine vitam  
 Contemerant, alti conteret ira Dei.  
 Inſuper alma Sion, conſtans Domini que Dei que  
 Imperium ſtabit tempus in omne tui.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVI,  
*Laudibus Iſacida Dominum celebrare iubentur,  
 Id quoque cur faciant multa ſubſeſſe refert.  
 Carmine ſubiecto que tam manifeſta leguntur,  
 Pluribus vt repeti non opus eſſe queat.*

LAVDATE DOMINVM QVO-  
 NIAM BONVS.

**P**Sallite laudantes Dominũ; bona pfallere res eſt;  
 Et curate placens laus ſit, & apra Deo.  
 Qui Solymã reparat miſerans, ſparſosque per orbẽ  
 Colliget Abramo de genitore ſatos.  
 Qui fractos animis mulcet, curamque fidelem  
 Admouet, & medici vulnera more ligat.  
 Qui numerat toto fulgentia lumina celo,  
 Signat & imposito nomine quodque ſuo.

Hunc

Hunc verè magnum merito fateamur, eumque  
 Haud quaquam exiguis viribus esse Deum.  
 Cuius tam variis lucet sapientia rebus,  
 Illas vt vanus sit numerare labor,  
 Afflictos releuat mites, & seruat amica  
 Dexterâ, at in terras impia corda premit.  
 Accinite ergo Deo, iustasque exsoluite grates,  
 Sitque pios cithara cura cedere modos.  
 Æthereum nigris qui infuscat nubibus orbem,  
 Et facit vt pluuijs terra rigetur aquis.  
 Qui viridi celsos conuestit gramine montes,  
 Mortales læta commoditate iuuans.  
 Qui pecudes alit, & coruorum fetibus escas  
 Sufficit altricem voce rogatus opem.  
 Qui generosorum vires contemnit equorum,  
 Cruraque bellacis motibus apta viri.  
 Oblectant verò Dominum quibus ipse timetur,  
 Quosque eius bonitas fidere summa facit.

## A R G V M E N T V M P S A L M I C X L V I I .

*Materia est similis cum præcedente, potentem  
 Laudibus exhortans magnificare Deum.  
 Forsthan hæc ratio quosdam permouit, eidem  
 Vt socient, nexu continuentq; pari.*

## L A V D A H I E R V S A L E M

## D O M I N V M .

**D**ic Domino laudes vrbs ô Solymæa potenti,  
 Tolle Deum meritis laudibus alta Sion.  
 Qui confirmauit portarum claustra tuarum,  
 Qui impendit natis tot benefacta tuis.  
 Reddidit & patriæ pacatos vndique fines,  
 Et farre ad satiem te meliore cibât.

R 5

Qui

Qui dare cùm libuit terræ mandata feraci,  
 Obsequitur dempta protinus illa mora.  
 Quique niues fundit lanarum more volantes,  
 Et nebulam cineri spargit in arua parem.  
 Frustratim gelida glaciem demittit ab æthra,  
 Cuius sustineat frigora nemo pati.  
 Quum placuit rursus diuersos mittere iussus,  
 Haud mora, constrictas frigore soluit aquas:  
 Mitia si cælo ventorum flabra remisit,  
 Continuo pluuiis tota redundat humus.  
 Qui sua Thariadæ patefecit scita Iacobo,  
 Iudicia Isacidis, iustitiasque suis.  
 Haud quaquam talem populis se præstitit vllis,  
 Quos passus leges est latuisse suas.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVIII.

*Omnia supremum celebrent elementa Tonantem:*

*Ipsius laudes cuncta creata sonent.*

*Quàm sua sit cunctis miranda potentia, voce*

*Prodidit, hac sola condidit Orbis opus.*

LAVDATE DOMINVM

DE CÆLIS.

**C**Ælicolæ Domino laudum præstetis honorem,  
 Excelsis & eum concelebrate locis.  
 Huic laudem Angelicæ certatim soluite turbæ,  
 Cælica spirituum denique tota phalanx.  
 Sol & luna Deum pariter laudate, simulque  
 Stellæ, & signiferi lumina clara poli.  
 Laude creatorem cælorum tollite cæli,  
 Laudet & ætheræ pendulus humor aquæ.  
 Iussit ea esse Deus, parent mox orta iubenti:  
 Este ait, hoc vno facta fuere sono.

Quia

Quin ea perpetuum statuit mansura per æuum,  
 Nec finet hanc legem vi caruisse suam.  
 Vos quoque squamosi Dominum laudate dracones,  
 Et maris immensi quicquid abyssus habet.  
 Ignis, grando, niues, glacies cum turbine venti,  
 Quæ Domini semper verba iubentis agunt.  
 Siluosi montes, colles, fœcundaque ligna,  
 Et decus aërij Cedrus odora iungi,  
 Bestia mitis, atrox, pecudum genus omne, colubri,  
 Pennaque quas velox addita fecit aues.  
 Terrarum Reges, populi, proceresque, ducesque,  
 Ius quoque dicendi munera quisquis habet.  
 Cum senibus iuuenes, pueri, innuptæque puellæ  
 Ætherei celebrent, nomina sancta Patris:  
 Nomina quæ iustè celebrari sola merentur,  
 Et quibus haud quicquam grandius esse potest.  
 Ipsius laudes cœlos, & sidera vincunt,  
 Nec satis ad iustas maxima terra facit.  
 Ille suum populum regni ad fastigia vexit,  
 Hinc grates tanto munere letus aget.  
 Quem genitore satum sibi de Israële sacrauit,  
 Coniunctumque pia relligione, fide.

## ARGVMENTVM PSALMI CXLIX.

*Admonet Hebraeos Dominum cantare, simulq;  
 Prasagit populo prospera secla suo,  
 Hostibus erepti vt latè sua regna propagent:  
 Aptæ magis legi sunt tamen ista nouæ.*

CANTATE DOMINO CANTI-  
CVM NOVVM.

**P**ectore in assuetos Domino depromite cantus,  
 Pangat ei laudes concio sancta nouas.

Gau-



Gaudeat Israël tali se authore creatum,  
 Factoremque suæ gentis habere Deum.  
 Principe se tanto soboles generosa Sionis  
 Iactet, & hunc regem gestiat esse sibi.  
 Inque choris eius nomen celebretur, ei que  
 Cum cytharæ fidibus tympana rauca sonent.  
 Quippe suo Dominus populo fauet, inque salutem  
 Euehet innocuos, & sine felle viros.  
 Gloria in immensum sanctorum gaudia tollet,  
 Gloria polluto non adeunda pede.  
 Gloria securum præstans quibus obtigit æuum,  
 Gaudia secretis dans quoque blanda toris.  
 Semper eis Dominus læto cantabitur ore,  
 In dextris anceps insimul ensis erit.  
 Quo merita gentes vindicta plectere iniquas,  
 Et populos valeant increpitare feros.  
 Compedibus sæuos duris vincire tyrannos,  
 Et manicis primos nobilitate duces.  
 Denique iudicium vt faciant, quod iustus in illos  
 Conscriptum sacro protulit ore Deus.  
 Omnibus accedet decus hoc & gloria sanctis,  
 Orbis in his tanti nullus honoris erit.

ARGUMENTVM PSALMI CL.

*Extremum hunc Deus alme mihi concede laborem,  
 In quo omni Vates te iuber arte cani.  
 Ore, choro, nablis, fidibus, lituoq<sub>3</sub>, tubaq<sub>3</sub>,  
 Cornibus, atque aliud musica si quid habet.*

LAVDATE DOMINVM

IN SANCTIS.

**C**Ælestes animæ meritaram cantica laudum  
 Æthereo sancta pangite in arce Deo.

Laudi-

Laudibus in nitido hunc extollite firmamento,  
 Hoc virtute sua nam stabiliuit opus.  
 Dicite quàm magnus, quàm sit virtutibus ingens,  
 Omnem mensuræ quàm superetque modum.  
 Huic inflate tubas, simul & psalteria plectro,  
 Filaque dulcisonæ sollicitate chelis.  
 Tympana tensa, choros huic exercete frequentes,  
 Cum leuibis chordis organa longa sonent.  
 Tinnula perstrepitent modulato cymbala pulsu,  
 Cymbalaque hæc eadem iubila festa canant.  
 Ad summam quicquid vitales attrahit auras,  
 Assiduo cumulet laudis honore Deum.

## FINIS PSALMORVM.

## ERRATA.

Facie 11. versu 2. falsa. 26. 8. notans. 32. 8. aure preces. 58. 8. Haud  
 mora longa, meos. 59. 28. Quam me. 80. 13. acclinem. 98. 7. Vos mea.  
 125. 2. cunctipotentis. Ibidem 3. at hostes. 157. 26. Fracta foret.  
 161. 20. Chara. 188. 24. torris. 202. 22. exhorruit. 230. 18. Inde 249.  
 1. dominis. 251. 23. Seu quid.

EIVSDEM DAVIDIS REGIS  
 ET PROPHETÆ SVPER MORTE SAV-  
 LIS & Ionathæ, eodem authore, Threnodia.

**I** Sacidæ vestros mecum perpendite casus,  
 Tollite lugubres sidera ad alta sonos.  
 Aspiciate en quorum crudeli corpora ferro  
 Saucia in excelsis procubuere iugis!  
 Montibus in vestris letho prostrata nefando,  
 Inclyta Thariadum gloria lausque iacet.  
 Getthæos fama hæc fugiat tam fœda colonos,  
 Nec tangat fines Ascalonita tuos.  
 Clade Palestinæ hac ne exultent forte puellæ,  
 Inque suis cantent vulnera nostra choris.  
 Ne incircumcisorum agitent petulantia natæ  
 Gaudia, de nostris lætitiâque malis.  
 Gelboici montes vos dehinc nec roscidus humor,  
 Nec pluviæ solita fertilitate iuuent.  
 Non Cereris quisquam, nec dulcis grata Lyæi  
 Dehinc queat è vestris carpere dona iugis.  
 Hic robustorum parma est abiecta virorum  
 Bellica, quodque piget dicere, parma Saul.  
 Tanquam si sacro non esset tinctus oliuo,  
 Et Regis veluti nomen inane foret.  
 Retrorsum Ionathæ nunquam rediere sagittæ,  
 Robustos peteret quamlibet ille viros.  
 Prælia facturus quoties prodibat in hostem,  
 Spicula ab hostili sanguine tincta tulit.  
 Si quis Marte minax Regi se forte tulisset  
 Obuius, inuictam sensit adesse manum.  
 Nunquam proposito gladius deflexit ab ictu  
 Ipsi, à pugna nec remeavit iners.

Quam

Quàm fuit amborum præstans & amabile pectus!

Quæ species! pulchro quantus in ore decor!

Quos natura parens vita coniunxerat, horum  
Corpora nunc fato confociata iacent.

Vincebant celeres aquilarum cursibus alas,

Robore nec poterat fortior esse leo.

Tam sæuos obitus Solymææ flere puellæ,

Et manent lacrymis lumina, causa subest.

Morte iacet, cocco qui vos vestibat, & auro,

Commoda qui vestris cultibus ampla dabat.

Quomodo funesto fortes cecidere duello?

In summis Ionathas corruit ense iugis.

Has tibi ego lacrymas iuuenum pulcherrime soluo,

O Ionatha fratris semper amate loco.

Femineos forma vincebas dulcis amores,

Tanta fuit vultus gratia, tantus honos.

Vt deamat roto genitrix sua pignora corde,

Tu mihi sic vincolo iunctus amoris eras.

Eheu quo pacto virtus infracta virorum

Concidit, indigno quamque subacta modo est!

Arma, quibus bello fuerant tam fortiter vfi,

Quomodo in hostiles perdita iere manus?

PSAL-

<b>A</b> d te Domine leuauī animam.	pag. 49
<b>A</b> d te Domine clamabo.	54
Afferte Domino filij Dei.	55
Audite hac omnes gentes.	95
Attendite popule meus.	82
Ad Dominum cum tribularer.	234
Ad te leuauī oculos meos.	236
<b>B</b> eatus vir qui non abiit.	1
<b>B</b> eati quorum remissa sunt.	61
Benedicam Dominum in omni tempore.	64
Beatus qui intelligit super.	82
Benedixisti Domine terram tuam.	162
Bonum est confiteri Domino.	176
Benedic anima mea Domino, & omnia.	191
Benedic anima mea Domino, Domine.	193
Beatus vir qui timet Dominum.	212
Beati immaculati in via.	221
Beati omnes qui timent Dominum.	240
Benedictus Dominus Deus meus.	259
<b>C</b> um inuocarem exaudiuit.	13
<b>C</b> onfitebor tibi Domine in toto.	21
Conserua me Domine.	30
Celi enarrant gloriam Dei.	39
Confitebimur tibi Deus.	143
Cantate Domino canticum nouum.	181
Cantate Domino canticum nouum, quia.	184
Confitemini Domino, & inuocate.	196
Confitemini Domino, quoniam.	199
Confitemini Domino, quoniam bonus.	203
	Confitebor

<i>Cantate Domino canticum nouum, laus.</i>	267
<i>Confitebor tibi Domine in toto.</i>	211
<i>Confitebor tibi Domine in toto.</i>	250
<i>Confitemini Domino quoniam bonus.</i>	219
<i>Confitemini Domino quoniam bonus.</i>	248
<i>Credidi propter quod locutus.</i>	218
<b>D</b> <i>E profundis clamaui.</i>	242
<i>Deus auribus nostris audiuius.</i>	87
<i>Deus Deorum Dominus loquutus.</i>	97
<i>Deus Deus meus ad te de luce vig.</i>	117
<i>Deus Deus meus respice in me.</i>	43
<i>Deus in adiutorium meum.</i>	131
<i>Deus in nomine tuo.</i>	104
<i>Deus iudicium tuum regi da.</i>	135
<i>Deus laudem meam.</i>	208
<i>Deus misereatur nostri.</i>	123
<i>Deus noster refugium.</i>	92
<i>Deus quis similis erit tibi.</i>	159
<i>Deus repulisti nos, &amp;.</i>	114
<i>Deus stetit in Synagoga.</i>	158
<i>Deus venerunt gentes.</i>	153
<i>Deus vltionum Dominus.</i>	178
<i>Dilexi quoniam exaudiet.</i>	217
<i>Diligam te Domine fortitudo mea.</i>	34
<i>Dixi custodiam vias.</i>	78
<i>Dixit Dominus Domino meo.</i>	210
<i>Dixit iniustus vt delinquat.</i>	70
<i>Dixit insipiens in corde suo.</i>	28
<i>Dixit insipiens in corde.</i>	103
<i>Domine clamaui ad te, exaudi.</i>	255
<i>Domine Deus meus in te speraui.</i>	18
<i>Domine Deus salutis mea.</i>	166

S

Domine

<i>Domine Dominus noster quàm.</i>	29
<i>Domine exaudi orationem meam.</i>	257
<i>Domine exaudi orationem meam.</i>	188
<i>Domine in virtute tua.</i>	42
<i>Domine ne in furore tuo.</i>	17
<i>Domine ne in furore tuo.</i>	76
<i>Domine non est exaltatum cor.</i>	243
<i>Domine probasti me.</i>	251
<i>Domine quid multiplicati sunt.</i>	12
<i>Domine quis habitabit in tabernaculo.</i>	30
<i>Domine refugium factus es.</i>	172
<i>Domini est terra.</i>	48
<i>Dominus illuminatio mea.</i>	52
<i>Dominus regit me.</i>	47
<i>Dominus regnavit, decorem.</i>	177
<i>Dominus regnavit, exultet.</i>	182
<i>Dominus regnavit, irascantur.</i>	185
<b>E</b> cce nunc benedicite Dominum.	245
<b>E</b> cce quàm bonum.	245
<i>Eripe me de inimicis.</i>	112
<i>Eripe me Domine ab homine malo.</i>	254
<i>Eruet auit cor meum.</i>	89
<i>Exaltabo te Deus meus rex.</i>	261
<i>Exaltabo te Domine quoniam suscep.</i>	57
<i>Exaudiat te Dominus in die.</i>	41
<i>Exaudi Deus deprecationem.</i>	115
<i>Exaudi Deus orationem.</i>	105
<i>Exaudi Deus orationem.</i>	119
<i>Exaudi Domine iustitiam.</i>	32
<i>Expectans expectavi Dominum.</i>	80
<i>Exultate Deo adiutori nostro.</i>	156
<i>Exultate iusti in Domino.</i>	63

Exurgat

29	Exurgat Deus & dissipentur.	124
57	Fundamenta eius in.	165
88	<b>I</b> nclina Domine aurem.	163
42	<b>I</b> n conuertendo Dominus.	238
17	In Domino confido.	25
76	In exitu Israël de <i>A</i> gypto.	214
43	In te Domine speraui.	58
51	In te Domine speraui.	132
12	Iubilate Deo omnis terra.	121
30	Iubilate Deo omnis terra, seruite.	186
72	Iudica Domine nocentes.	67
48	Iudica me Deus, & disc.	86
52	Iudica me Domine quoniam.	51
47	<b>L</b> ætatus sum in his quæ.	235
77	<b>L</b> auda anima mea Dominum.	263
82	Lauda Hierusalem.	265
85	Laudate Dominum de caelis.	266
45	Laudate Dominum in sanctis.	268
45	Laudate Dominum omnes gentes.	219
12	Laudate Dominum quoniam	264
54	Laudate nomen Domini.	246
89	Laudate pueri Dominum.	214
51	Leuaui oculos meos.	234
57	<b>M</b> agnus Dominus, &.	94
41	<b>M</b> emento Domine Dauid.	243
15	Miserere mei Deus.	109
25	Miserere mei Deus quoniam.	108
19	Miserere mei Deus secundum.	100
32	Misericordiam & iudicium.	187
30	Misericordias Domini.	168
6	<b>N</b> isi Dominus ædificauerit.	239
3	<b>N</b> isi quia Dominus.	236
46		Noli



<i>Noli emulari in malig.</i>	71
<i>Nonne Deo subiecta.</i>	116
<i>Notus in Iudæa Deus.</i>	144
<i>Omnes gentes plaudite manibus.</i>	93
<i>Paratum cor meum Deus.</i>	207
<b>Q</b> uam bonus Israël.	137
<b>Q</b> uam dilecta tabernacula.	160
<i>Quare fremuerunt.</i>	10
<i>Quemadmodum desiderat.</i>	84
<i>Qui confidunt in Domino.</i>	237
<i>Quid gloriaris in malitia.</i>	102
<i>Qui habitat in adiutorio.</i>	174
<i>Qui regis Israël intende.</i>	154
<b>S</b> Ape expugnauerunt.	241
<b>S</b> aluum me fac Deus.	128
<i>Saluum me fac Domine.</i>	26
<i>Si verè utique iustitiam.</i>	110
<i>Super flumina Babylonis.</i>	249
<i>Te decet hymnus Deus.</i>	120
<b>V</b> enite exultemus.	180
<b>V</b> erba mea auribus.	15
<i>Voce mea ad Dominum.</i>	145
<i>Voce mea ad Dominum.</i>	256
<i>Vsquequo Domine obl.</i>	27
<i>Vt quis Deus repulisti in.</i>	140

F I N I S

7  
5  
0  
4  
7  
2  
4  
4  
1  
8  
6  
0  
9  
0  
0  
5  
5  
6  
7  
10

**D**Auidicos Psalmos à D. Iacobo Latomo  
Louaniensi Canonico, dilucido & ele-  
ganti carmine ad vulgaram Catholicæ Ec-  
clesiæ translationem summa fide redditos  
esse censemus: ac proinde ad veram & or-  
thodoxam de iis capiendam sententiam, di-  
gnos qui prælo typographico subiiciantur:

*H. Cuyckius, Apostolicus & Regius libro-  
rum Censor, ac Louanij Sacræ Theologiæ  
Professor.*

*Iacobus Ianssonius, Sacræ Theologiæ Loua-  
niy Professor.*

*Iacobus du Bay, Sacræ Theologiæ Louaniy  
Professor, S. Iacobi Decanus.*

PRIVILEGII SVMM A.

**C**Autum est Priuilegio Regio, ne quis præter Chri-  
stophorum Plantinum suæ Maieftatis Typogra-  
phum, intra proximos annos sex, *Dauidicos Psalmos*, per  
*D. Jacobum Latomum, Canonicum Louaniensem*, in carmen conuersos,  
typis vlllo modo excudat: aut alibi excufos in hisce di-  
tionibus diftrahere audeat, vti latius patet ex litteris,  
Datis Bruxellæ sexta Octobris, Anno Domini millesi-  
mo quingentesimo octuagesimo sexto.

*Subf.*

*S. de Grimaldi.*

VMVLTWS  
EVENALIS

AC...  
...

...

...

...

...


...

...














*Fama p[ro]fessura  
p[ro]fessura d[omi]ni*

Th  
5814

Fama  
postrema  
Præfulum  
Antwerp.

Threni  
Ieremie  
cum tribu scripti  
Ireni  
Psalmi  
Davidici.

Panicus  
Tumulus  
Belgij.